Tudeer, Lauri O Th
De vocabulis quibus
Sophocles in Ichneutis
fabula satyrica usus est

SUOMALAISEN TIEDEAKATEMIAN TOIMITUKSIA. Sarja B. Nid. XIV. N:o 4.
ANNALES ACADEMIÆ SCIENTIARUM FENNICÆ. Ser. B. Tom. XIV. N:o 4.

DE VOCABULIS

QUIBUS SOPHOCLES IN ICHNEUTIS FABULA SATYRICA USUS EST

SCRIPSIT

L. O. TH. TUDEER

HELSINGFORSIAE, 1916

Poetarum tragicorum
interpreti optimo, editori peritissimo
G. Murraio
d. d.
auctor

DE VOCABULIS

QUIBUS SOPHOCLES IN ICHNEUTIS FABULA SATYRICA USUS EST

SCRIPSIT

L. O. TH. TUDEER

HELSINGFORSIAE, 1916

HELSINGFORSIAE 1916
EX OFFICINA SOCIETATIS LITTERARIAE FENNICAE

Pergratum hoc loco officium servabo gratias agendi iis Viris Doctissimis, quorum opera in hoc opusculo conficiendo adiutus sum. Praeter ceteros patrem carissimum, O. E. Tudeerum, professorem Universitatis Helsingforsiensis emeritum, nomino. Ille me primus Graecae linguae, litterarum, vitae studiis imbuit, ille mihi artis praecepta monuit. Opera mea summo semper prosecutus studio hoc etiam in opusculo ea ille rerum scientia, perpetua quam acquisivit industria, indefessus mihi subvenit. Itaque in litterarum Graecarum studiis si quid proferre potero, quod aliis utile gratumque erit, ei gratias persolvi velim. — Commemorandi sunt etiam I. A. Heikel, professor, praeceptor meus, cuius consilia perutilia numquam mihi defuerunt, et E. I. Heikel, doctor, amicus, qui quaedam de latine scribendi ratione monuit.

I.

Ichneutarum Sophocleorum fragmenta illa pretiosissima, quae e solo Aegypti arido in lucem reddita Arturus S. Hunt, vir doctissimus harumque rerum longe peritissimus, publici iuris fecit, eaque, quae ad explicandum argumentum viri docti scripserant, ego cum perlegerem, duas praecipue res notavi, primum indolem fabularum satyricarum artemque, qua Sophocles etiam in huiusmodi fabulis componendis excelluerit, hisce reliquiis iam non mediocriter esse illustratam, deinde vero multa adhuc restare, quae, etiamsi viri multi eique sagacissimi his rebus operam dederunt, nondum penitus essent explicata. In primis autem facere non potui, quin animadverterem hanc fabulam, cuius sane vix dimidia pars est servata, satis multa praebere, quae ad lexicon Sophocleum addenda esse viderentur. Qua de causa mihi proposui, ut non solum vocabula Ichneutarum non antehac in fabulis fabularumque reliquiis Sophocleis reperta, sed etiam ea, quae in hac fabula significationem ab exemplis Sophocleis adhuc cognitis discrepantem prae se ferrent, quantum quidem per me fieri posset, enucleare conarer. Ac praecipue id egi, ut quemnam locum illa vocabula in historia ut ita dicam linguae Graecae obtinere censenda essent, exquirerem. Ad omnia vero perscrutanda linguae Graecae monumenta cum nec tempus neque vires sufficerent, quae iam antea vel lexica vel alia huiusmodi opera a viris doctis confecta omnibusque fere cognita exstarent, horum tantum habere rationem rerum necessitate coactus esse videbar. Sperare tamen ausus sum iis, quae hoc modo ego colligerem, aliquantulum certe illustrari eam quaes-

tionem posse, quaenam vocabula usui Sophocleo adhuc aliena haec ipsa contineat fabula satyrica.

Indice a me confecto non solum ea continentur vocabula, quae in papyro Oxyrhynchia integra exstant, sed etiam ea, quae et litterarum reliquiis et sententia perspicua nisi viri docti probabiliter restituerunt. Verum si quae merae essent coniecturae, quibus viri docti lacunas papyri maiores explere conati sunt, magis, ut videtur, ut exemplum nexus sententiarum nobis praeberent, quam quod putarent se ipsa vocabula, quibus Sophocles usus esset, revocasse, has ego omisi.

* * *

Inter vocabula in Ichneutis inventa ea maximi sunt momenti, quae *ἅπαξ εἰρημένα* dicuntur, quae quidem ipsa difficillima sunt ad explicandum. Huiusmodi vocabula nominibus quae videntur propriis exceptis in Ichneutis 42 repperi, quorum quidem 8 incerta sunt. Natura sunt varia, 6 substantiva (quibus 5 nomina propria adnumeranda sunt, quorum 2 incerta), 18 adiectiva, quorum 2 incerta, 15 verba, inter quae 4 incerta, 1 adverbium incertum, 2 interiectiones. — Substantivorum unum eiusmodi est, ut primo conspectu e substantivo amplificatum videatur, *παραψυκτήριον*, quod re vera a verbo derivatum est, haud aliter atque quattuor alia *αἰόλισμα*, *ἄλκασμα*, *ῥοίβδημα*, *κυκησμός*. Incertissimum **μαριλοκαύτης* est compositum. Nominum propriorum unum **Τρέχις*, si quidem recte restitutum est, a verbo est derivatum, duo a substantivis **Κρεκίας* et *Οὐρίας*. Restant *Γράπις* et *Δράκις*, quae quo modo derivata sint, nondum certa ratione explicatum est. — Plurima adiectivorum composita sunt, quorum quidem nonnullis exceptis pars posterior adiectivum verbale est vel alio modo a verbo derivata. Aliter formata haec sunt: *ἀμολγάς*, *ἰθυντήριος*, *νέβρινος*, *λικνῖτις*. — Verba nunc primum inventa omnia composita sunt uno excepto *κυνηγέσσειν*. Hoc verbum in textu inventum maximi est momenti, quippe quod nunc primum habeamus exemplum verbi a grammaticis quidem commemorati, apud scriptores vero ipsos antea non reperti. Eam igitur suspicionem, quae Lobeckium olim subiit, prorsus non exstitisse hoc verbum, nunc de-

mum manifesto sublatam esse vidimus. — Interiectiones *ὀπποποῖ* et *ψψ* etsi *ἅπαξ εἰρημένα* sunt, ut videtur, maioris non sunt momenti. Huiusmodi enim vocabula, onomatopoeetica quae dicuntur, ad temporis momentum finguntur.

Vocabula nova quid significarent, non semper certe definire licuit. Plurima vero nullum relinquunt dubitationi locum.

Vocabulorum *ἅπαξ εἰρημένων* numerum permagnum esse dixeris, cum 42 eiusmodi vocabula in hac fabula temporum iniquitate valde mutilata inveniantur. In editione Huntii secunda versus omnino numerantur 446, a quibus tamen 42 detrahendi sunt, quot fere versus editor e lacunis papyri atque singularum eius columnarum concludens antiquitus exstitisse opinatur, licet nunc ne unum quidem vestigium eorum exstet. Itaque in decimo fere quoque versu unum *ἅπαξ εἰρημένον* est. Si autem porro 40 versus excipias ita mutilos, ut ne unum quidem vocabulum integrum contineant, restant 360, ut fiat ratio numeris expressa 9 : 1. Quae cum ratio mihi mira videretur, e totidem versibus alius fabulae satyricae, Cyclopis Euripidei, atque item e fabulis nonnullis tragicis ea vocabula, quae *ἅπαξ εἰρημένα* sunt, comparandi causa excerpere institui. Hoc consilio e fabulis tragicis non solum Sophocleam unam elegi sed etiam unam Euripideam, duas Aeschyleas eodem modo perquirendas. In Persarum igitur versibus 400 primis Aeschylum vocabula *ἅπαξ εἰρημένα*, nisi quae me fefellerunt, 44 praebere notavi, in nono fere quoque versu unum, in Agamemnonis autem versibus 400 primis rationem ferme fieri 8 : 1. Sophocles in Aiacis initio in vicesimosecundo quoque versu unum exhibet vocabulum *ἅπαξ εἰρημένον*. In Medea Euripidis ratio est 100 : 1, in Cyclope autem, fabula satyrica, 22 : 1. Hac comparatione nihil necopinati expressum est. Satis enim notum erat Aeschyli sermonem elatiorem esse et plurimum ab usu cotidiano discrepare, Euripidis sermonem propius accedere ad cotidianum, Sophoclem medium fere tenere locum. Quod vero multo maioris est momenti, fabulae satyricae vocabula *ἅπαξ εἰρημένα* multo plura continent quam fabulae tragicae eiusdem scriptoris.

Fabula satyrica cum medium quodam modo locum inter tragoediam et comoediam tenere videatur, exspectandum fortasse erat

sermonem fabularum satyricarum non multum ab usu cotidiano abhorruisse. At in Ichneutis certe prorsus aliter se habet res. Huius fabulae numerus vocabulorum *ἅπαξ εἰρημένων* quo maior est, eo etiam, si ad genus horum vocabulorum respicias, minus ea ab oratione elatiore, ne dicam tragica, discrepant. Exempla eorum vocabulorum, in quibus aliquid inest inusitati et elatioris, aliquid poetici coloris, haec sunt: *αἰόλισμα, ἄλκασμα, ἀμολγάς, ἀποθυμαίνειν, *ἀπορρυπαίνειν* (vel **ὑπορρυπαίνειν*), **ἀπροψάλακτος, βοίκλεψ, *ἐξευθετίζειν* (?), *ἐπανθεμίζειν, ἰθυντήριος, κυνορτικός, λικνῖτις, νυμφογέννητος, ὀρθοψάλακτος, παλινστραφής, παραψυκτήριον, πέδορτος, *προψαλάσσειν, ῥοίβδημα, συμποδηγετεῖν, χρυσόφαντος*. Ad haec prope accedere videntur voces **διανύχιος, ἐξυπέρχεσθαι, νέβρινος, ῥινοκόλλητος, χυτρώδης*. De vocabulis, quae sunt *διακαλεῖσθαι, κατοιχνεῖν, ὑποκλάζειν*, nihil certi ausim affirmare, at aliquid elatioris et in his inesse videtur. Sermonis fortasse cotidiani sunt: *ἀνανοστεῖν, ἀπόψηκτος, *διατόρως, ἐκκυνηγέσσειν, *ἐξάνειν, κατακλύειν, κυκησμός, κυνηγέσσειν, *μαριλοκαύτης* (?), *προστελής, τρίγομφος*. haud secus atque interiectiones *ὀπποποῖ* et *ψψ*. Nominibus Satyrorum plurimis aliquid comici coloris inest, qualia sunt *Γράπις, Δράκις, *Κρεκίας* (?), *Οὐρίας*; ad cotidianum sermonem propius accedere videtur **Τρέχις*. — Quod vero ad ea attinet vocabula, quibus Silenus Chorusque utuntur, ex iis, ni fallor, plerumque vis parodica quaedam elucet, etsi elatioris sunt generis.

Vocabula *aliunde nota*, quae apud Sophoclem in hac tantum fabula occurrunt, si considerare volueris, magnam eorum partem orationi poeticae propriam esse videbis, alia et sermoni poetico pedestrique communia. In sequenti vocabula illa et secundum naturam propriam, et secundum aetatem, qua primum unumquidque apud scriptores aut ante Sophoclem aut post eum occurrit, disponere conatus sum.

I. Vocabula coloris poetici vel omnino sermonis elatioris.

A. Quae iam ante Sophoclem occurrunt:

*ἄκαρπος — Aeschylus.
*ἀπόπροθεν — Homerus.
ἀρίζηλος — Homerus.
ἀφύειν — Homerus.
βαθύζωνος — Homerus.
*βοηλάτης — Pindarus, Aeschylus (commune?).
γηρύειν — Hesiodus.
?*γυῖον — Homerus (commune?).
διανύτειν — Homerus (commune?)
?*δίωγμα — Aeschylus.
δορά — Theognis.
?*δύσβατος — Pindarus.
?*δυσεύρετος — Aeschylus.
*δύσλοφος — Theognis.
ἐξιχνεύειν — Aeschylus (commune?).
ἐπεικέναι — Aeschylus.
ἐπικλύειν — Homerus.
ἐπισεύειν — Homerus.
θέσπις — Homerus.
ἰχνοσκοπεῖν — Aeschylus.
κραιπνός — Homerus.
λάκτισμα — Aeschylus.
οἶμος — Homerus.
παραπαίειν — Aeschylus (commune?).
πιτνάναι — Homerus.
πόρδαλις — Homerus.
ποτής — Homerus.
πρεπτός — Aeschylus.
?*πρέσβειρα — Hymnus Hom. in Venerem.
προσγελᾶν — Aeschylus (commune?).
?*πύστις — Aeschylus.
ῥινηλατεῖν — Aeschylus (commune?).
?*σπέος — Homerus.
στράτιος (nom. propr.?) — Homerus (nom. propr.).
φυή — Homerus.
χαλέπτειν — Homerus.
χλοερός — Hesiodus (commune?)

37 (*11).

B. Vocabula a scriptoribus Sophocli aequalibus vel eo recentioribus classicae aetatis usurpata:

αἰέλουρος — Herodotus (?), Poetae comici.
*ἅμμα — Herodotus, Euripides.
ἄνευρος — Theopompus comicus.
?*ἀφανῶς — Thucydides.
*βούσταθμον — Euripides (commune?).
ἐλευθέρωσις — Thucydides.
ἔμμεστος — Plato (?Epistula septima).

ἐμπεδοῦν — Euripides.
ἐνήλατα — Euripides (commune?).
ἐξορμενίζειν — Nicostratus.
εὐιάζειν — Euripides.
θήρευμα — Euripides (commune?).
θύρσος — Cratinus (commune?).
καθαρμόζειν — Euripides.
κλέμμα — Euripides, Thucydides (commune?).
**κλώψ* — Herodotus, Euripides (commune?).
σύριγμα — Euripides (commune?).

17 (*4).

C. Vocabula e scriptoribus Hellenisticae quae dicitur vel etiam posterioris aetatis cognita:

ἀκόμιστος — Diogenes Laertius, Nonnus.
βράβευμα — Nicetas (aetatis Byzantinae).
δειλοῦσθαι — LXX, Diodorus Siculus.
ἐπίκυρτος — Plutarchus, Nonnus.
εὐπαλής — Apollonius Rhodius.
ὀρειτροφος — Schol. Lycophronis.
πάμφυρτος — Oppianus.
τροχώδης — Schol. Nicandri.
ὑποκρίζειν — Aelianus.

9

II. Vocabulum comici coloris:

**ἐγχάσκειν* Aristophanes.

1

III. Vocabula sermonis ut videtur cotidiani.

A. Quae iam ante Sophoclem occurrunt:

ἀναδέχεσθαι — Homerus.
ἀναίτιος — Homerus.
ἀνελεύθερος — Aeschylus.
βάδην — Homerus.
δέρμα — Homerus.
?**ἔδεσμα* — Batrachomyomachia.
εἶα — Aeschylus.
ἔποχος — Aeschylus.
ἐρείδειν — Homerus.
εὐδία — Pindarus, Aeschylus.
ἐχῖνος — Archilochus.
θέσις — Alcaeus, Pindarus.
θηρίον — Homerus.
κάπη — Homerus.
κάρκινος — Epicharmus.
**κόλλοψ* — Homerus.
κύβδα — Archilochus.
κυνηγέτης — Homerus.
?**λάλος* — Anacreon.
λεῖος — Homerus.

λόχμη — Homerus.
μάλθη — Hipponax.
*μήνυτρον — Hymnus Hom. in Mercurium.
*μήτρως — Homerus.
*μόσχος — Homerus.
ὁπλή — Homerus.
παιδιά — Aeschylus.
παραμένειν — Homerus.
πίθηκος — Archilochus.
πλάγιος — Pindarus.
?*πλάνη — Aeschylus.
πνίγειν — Epicharmus.
πρεσβύτης — Aeschylus.
πρόσπαιος — Aeschylus.
προσφερής — Aeschylus.
πώγων — Anacreon.
σχολάζεσθαι — Aeschylus.
?*τορῶς — Aeschylus.
φαλακρός — Anacreon.

39 (*8).

B. Vocabula a scriptoribus Sophocli aequalibus vel recentioribus classicae aetatis usurpata:

?*ἀγαστῶς — Xenophon.
ἀπελεύθερος — Xenophon.
αὐτόχρημα — Aristophanes.
βραχυσκελής — Aristoteles.
γειτνιᾶν — Aristophanes.
γελοῖος — Xenophon.
*ἐξοργίζεσθαι — Xenophon.
?*ἴτης — Plato.
ἰχνευτής — Herodotus.
κνηκός — Theocritus.
κόλαξ — Eupolis.
λάθριος — Plato comicus.
*λοπάς — Poetae comici.
?*νεανίευμα — Plato.
*ὄστρεον — Plato.
πατρικός — Cratinus.
πέλεθος — Aristophanes.
προμήκης — Plato.
προσβιβάζειν — Aristophanes.
σύλησις — Plato.
τάγμα — Xenophon.
ὓ ὒ, ὓ ὒ — Aristophanes.
ὑλώδης — Thucydides.
ὑπόνομος — Thucydides.
ὕποσμος — Aristoteles.
ὑφορᾶν — Euripides.
φαλῆς — Aristophanes.
*φώρ — Herodotus.

28 (*7)

C. Vocabula, quorum usum scriptores aetatis Hellenisticae vel etiam posteriores indicant:

διαχαράσσεσθαι — Plutarchus.
καταρρικνοῦν — Gregorius Nyssensis.

κωφᾶν — Oppianus.
συνάμα — Theocritus.
ὑστέρως — Basilius Magnus.

6

Vocabulis hoc modo dispositis plane elucet maiorem partem eorum apud scriptores, qui ante Sophoclem floruerunt, iam occurrere. Huiusmodi autem vocabulorum dimidia fere pars iam in carminibus Homericis, litterarum Graecarum monumentis veterrimis usurpata est. At contra nonae fere partis exempla hucusque cognita non nisi aetatis recentioris Hellenisticae, Romanae, immo Byzantinae scriptores ad aetatem nostram servati praebent. Itaque voces, quae hucusque aetati soli Romanae Byzantinaeve a viris doctis tributae sunt, cum re vera iam a poetis aetatis optimae usurpatas esse e fragmentis nuperrime repertis appareat, quam modice vitam, ut ita dicam, vocabulorum Graecorum cognitam habeamus, clare demonstrare videntur.

* * *

Naturam et usum vocabulorum si respicias, dimidiam fere eorum partem colorem poeticum vel omnino elatiori sermoni proprium prae se ferre, alteram ad sermonem cotidianum propius accedere facile videbis. Horum autem nonnulla etiam a poetis usurpata sunt, praecipue a poetis comicis, etsi iis vim comicam inesse non apparet.

Ex iis, quae supra exposui, etsi brevia sunt, satis tamen dilucide apparere credo recte Huntium iudicavisse, cum eum sermonem, quo Sophocles in fabula illa satyrica conscribenda usus est, minime ab usu poetico et in primis tragico diceret recedere. Eis comparatis, quae singulae personae locutae sunt, plane liquet Apollinem et Cyllenem nympham enuntiationes longiores more et sermone tragico elatiore expressisse, sed praeter quod exspectavimus ne ea quidem, quae a Sileno Satyrisque pronuntiata sunt, a sermone illo, quo tragici usi sunt, multum discrepare. Loci agitatiores contro-

versiarumque pleniores, velut ille, qui fabulae nomen dedit, magis ab usu illo tragicorum discedentes ad sermonem cotidianum propius accedunt, cum delectationi spectatorum conscripti sint, ut mos neque mos solum sed etiam officium scriptorum in ludis Dionysiacis certantium erat, tetralogiae ultima in parte, in fabula dico satyrica.

II.

Infra vocabula Ichneutarum, quae non antehac in fabulis fabularumve reliquiis Sophocleis reperta sunt, per litterarum ordinem digesta explicare conatus sum.

?*ἀγαστῶς mirabiliter.

Ichn. 243—244 (X 7—8) ἐν τόποις τοῖσ[δε τίς νέρθε γᾶς ὧδ' ἀγα]|στῶς ἐγάρυσε θέσπιν αὐδά[ν;

Si lacunam recte explevit Hunt, veterrimum hic habemus exemplum adverbii, huc usque ἅπαξ εἰρημένον esse putati, quo solus Xenophon (Ag. 1,24) usus esse videbatur. Adiectivi ἀγαστός quidem primum exemplum praebet Aeschylus (fr. 268 Nauck), postea et apud poetas et scriptores orationis solutae usque ad aetatem Romanam occurrit, etsi satis raro. — Concedendum ceterum est coniecturam Huntii valde esse incertam.

*ἀγρωτήρ vide ἀγρωστής (Cap. III).

*ἀθύρειν vide ἀλύειν (Cap. III).

αἰέλουρος catus, felis.

Ichn. 296 (XII 7) ὡς αἰέλουρος εἰκάσαι πέφυκεν εἴθ' ὡς πόρδαλις;

Veterrimum hoc est exemplum formae vocabuli quattuor syllabarum, qua Photius in lexici exordio nuper reperto (R. Reitzenstein, Der Anfang des Lexikons des Photios p. 49) Sophoclem monet usum esse, etsi fabulam, ex qua exemplum sumpsit, non nominat. Haec

forma longior satis raro occurrit; certa exempla poetae comici praebent velut Aristophanes (Ach. 879), Anaxandrides (fr. 39,12 Kock), Timocles (fr. 1,4 Kock). Num Herodotus (2,66) hac forma usus sit, nondum constat. Cotidiani sermonis forma trisyllaba *αἴλουρος* est, cuius usus exempla in sermone et poetico et pedestri exstant. Horum veterrima Sophoclis aetate aliquantum posteriora sunt, recentissima apud scriptores ecclesiasticos inveniuntur.

αἰόλισμα

Ichn. 319 (XIII 3) *ἐξα[ί]ρει γὰρ αὐτὸν αἰόλισμα τῆς λ[ύ]ρας.*

ἅπαξ εἰρημένον e verbo *αἰολίζειν* derivatum. Sicut hoc non solum aeolico more canere (Pratinas, fr. 5,2 Bergk) aut aeolice loqui (Heraclides, Descr. Gr. 3,1, Strabo, alii) sed etiam *ποικίλλειν* i. e. variegare significat, ut grammatici testantur exemplo e Sophoclea fabula quadam, cuius nomen periit, sumpto (Photius [R. Reitzenstein, Der Anfang d. Lexikons d. Photios p. 52] *αἰολίζειν· τὸ ποικίλλειν. οὕτως Σοφοκλῆς*; item in Bekkeri Anecdotis p. 361,2, quo etiam annotatio scholiastae cuiusdam ad Theocritum [1,56] pertinere videtur, si nomen scriptoris re vera ex *Ἱεροκλῆς* in *Σοφοκλῆς* mutare liceat [fr. 826 Nauck]), ita etiam *αἰόλισμα ποικίλον μέλος* significat, ut monuit Wilamowitz-Moellendorff (N. Jahrb. XXIX p. 453[1]), et ad eandem significationem spectat annotatio Huntii (Oxyrh. Pap. IX p. 82). Verbum *αἰολίζειν* primum variegare (*ποικίλλειν*) significasse exempla affirmare videntur, si ad aetatem eorum spectamus.

**ἄκαρπος* frugum inops.

Ichn. 353—354 (XIV 11—12) *[εἰ δὴ κλοπή τ]ίς ἐστι, τὸν κλέπτην σκόπει | [ἄπορον ἄ]καρπον·*

Si lacuna papyri recte, ut mihi videtur, expleta est, hoc loco *ἄκαρπος* non, ut solet, infecundum significat, sed frugum inopem. Haec vox primum apud Aeschylum invenitur (Eum. 943) sed ibi iam per translationem usurpatum est (*ἄκαρπος νόσος*) ut etiam apud Bacchylidem (fr. 11,6 Blass). Solitam illam significationem primum apud Euripidem (Herc. 369) et Hippocratem (Dem. IV 90), deinde et in sermone poetico et pedestri aetatis Hellenisticae et

Romanae prae se fert. — Adverbii ἀκάρπως Sophocles veterrimum praebet exemplum (OR. 254).

ἀκόμιστος neglectus.

Ichn. 143—144 (VI 11—12) ἄνευρα κἀκόμιστ[α] κἀνε[λε]ύθε-ρα | διακονοῦντες,

Perrarum est adiectivum, cuius testimonia hucusque cognita scriptores aetatis multo recentioris, Diogenes Laertius (V 5) et Nonnus (12 296; 35 186; 45 50; 48 932; 40 174) praebent. Mirum non est hoc vocabulum iam quinto a. Chr. n. saeculo in usu fuisse, cum et substantivum ἀκομιστίη iam apud Homerum (φ 284) occurrat et adiectivum quoque verbale (κομιστέος) e verbo κομίζειν derivatum ante Sophoclem exstitisse constet.

ἄλκασμα ostentatio virium.

Ichn. 246—248 (X 10—12) καὶ τοῖσδε θηρῶν ἐκπύ[θοιο μᾶλ-λον ἂν] | ἀλκασμάτ[ω]ν δ[ειλῆ]ς [τε πειρατηρίων] νύμφης·

ἅπαξ εἰρημένον. Wilamowitz-Moellendorff ἄλκασμα in λάκασμα esse mutandum putavit, sed recte Hunt monuit (Oxyrh. Pap. IX p. 79) sic etiam novum ἅπαξ εἰρημένον fingi, nec, cum ἀλκάζειν et in Etymologico, quod dicitur Magno, et apud Hesychium invenias, scripturam in papyro servatam necesse esse mutari, licet de usu etiam verbi ἀλκάζειν paene nihil scire possimus, λακάζειν autem verbo Aeschylus (Sept. 186, Suppl. 872) usus sit. ἄλκασμα quid significet, in dubio est, sed cum ἀλκάζειν fortiter agendi, pugnandi significationem habeat, veri simile est ἄλκασμα ostentationem virium, vim, superbiam tale quid significare (cfr. interpretationem Huntii: deeds of strength [Oxyrh. Pap. IX p. 78]).

*ἅμμα nexus, vinculum.

Ichn. 313 (XII 24) . . .]αμματω[. . .

Tam est incertum, utrum in reliquiis versus exiguis re vera ἁμμάτων legendum sit, quod Hunt dubitanter proposuit (Oxyrh. Pap. IX p. 82), an Schenklii coniectura [καθ]αμμάτω[ν] (Hermes 48 p. 155) approbanda sit, an aliud quid coniciendum, ut confitendum

sit nos nihil certi hic diiudicare posse. Schenklio sane, qui Sophoclem his in versibus lyram multis terminis, qui dicuntur, technicis descripsisse opinatus est, assentiendum esse videtur, sed et ἅμμα et κάθαμμα et alia huic sententiae convenire possunt. — ἅμμα vocabuli exempla veterrima Sophoclis temporibus paene aequalia sunt, quae Herodotus (4,98) et Euripides (Hipp. 781, Bacch. 696, Herc. 1036) praebent. Postea hoc vocabulum usque ad aetatem Byzantinam praecipue apud scriptores orationis pedestris occurrit, sed etiam apud poetas exempla reperiuntur.

ἀμολγάς quae mulgetur.

Ichn. 5—6 (I 5—6) . . . βο]ῦς ἀμολγάδας | [μόσ]χους [τε καὶ νεανίευμ]α πορτίδων.

ἅπαξ εἰρημένον. Vocabula eadem e radice derivata usus poetici et in primis epici sunt, ut ἀμολγαῖος (Hesiodus, Op. 590, Leonidas Tarentinus, Anth. Pal. VII 657,10), ἀμολγεύς (Theocritus, 8,86, Crinagoras, Anth. Pal. IX 224,1), ἀμόλγιος (Theocritus, 25,106), ἀμολγύς (Etymologicum Magnum 129,8 etc.); verbum autem ἀμέλγειν, unde derivata sunt, apud Graecos commune est. Homericum quidem νυκτὸς ἀμολγῷ ad hanc stirpem vix pertinet.

ἀναδέχεσθαι excipere, polliceri.

Ichn. 156—157 (VI 24—25) πλοῦτον δὲ χ[ρ]υσόφαντον ἐξαφί[ε]τε | ὃν Φοῖβος ὑμῖν εἶπε κ[ἀ]νεδέξατο,

Vocabulum commune, quod inde a Homeri temporibus ad aetatem Romanam et Byzantinam in usu erat. Pollicendi significationis hoc testimonium veterrimum est, deinde etiam apud Herodotum (5,91) eandem vim habet, quam apud scriptores Atticos et posteriores saepissime prae se fert.

ἀναίτιος innocens.

Ichn. 235—236 (IX 26—27) . . . νων ὑμᾶς νοσεῖν | νο[σ . . . τί νύμφη]ν ἔτι ποεῖτ' ἀναιτίαν;

Vocabulum commune, quod iam apud Homerum occurrit et usque ad aetatem Byzantinam in usu erat. Forma feminini generis ἀναι-

τία, qua hic Sophocles usus est, minus usitata, sed et apud Aeschylum (Choeph. 872) et apud Herodotum (9,110) invenitur.

ἀνανοστεῖν reverti, redire.

Ichn. 160—161 (VII 2—3) εἰ μὴ 'νανοστήσαντες ἐξιχνεύσε[τε] τὰς βοῦς ὅπῃ βεβᾶσι καὶ τὸν βουκόλο[ν],

ἅπαξ εἰρημένον. Hunt (Oxyrh. Pap. IX p. 75) hanc vocem ita explicat: „ἀνανοστεῖν seems here to mean „pursue" cfr. Soph. Phil. 43 ἐπὶ φορβῆς νόστον. It could hardly signify „returning from the error of your ways". Haec explicatio, etsi optime cum sententiarum nexu congruere videtur, tamen, ni fallor, reicienda est. Verbum enim νοστεῖν cum in primis domum reverti, deinde redire et etiam ire significet, etiam in ἀνανοστεῖν aliquid huiusmodi sententiae inesse necesse est. Quocum bene congruit explicatio Wilamowitz-Moellendorffii, qui (N. Jahrb. XXIX p. 453) ἀνανοστεῖν germanice auf den Weg zurückkehren interpretatus est. Commemorandum est Silenum haec verba Satyris sonitu subterraneo perterritis dicere, et quidem ut eos a fuga revertentes rursus vestigia boum requirere cogat. Locus, quem Hunt e Philoctete Sophocleo (v. 43) ad firmandam sententiam attulit, huc non bene convenit. Varias istius loci explicationes viri docti protulerunt, et nonnulli quidem versum corruptum esse putant. Cavallin in accuratissima illa Philoctetae editione monuit vocabulum, quod est νόστος, apud Euripidem non raro omnino πορείαν, κέλευθον significare, sed locum ipsum Sophocleum valde dubium esse perhibet, ut etiam Nauck aliique. Quae cum ita sint, Jebbii interpretatio loci illius Philoctetae, cui Hunt assentitur, mihi non persuasit νόστον talem significationem habere, ut hoc Ichneutarum loco ἀνανοστεῖν „pursue" significare posset.

ἄνειν vide *ἐξάνειν.

ἀνελεύθερος illiberalis, inhonestus.

Ichn. 143—144 (VI 11—12) ἄνευρα κἀκόμιστ[α] κἀνε[λε]ύθερα | διακονοῦντες,

Hoc vocabulum, cuius veterrima exempla Aeschylus (Ag. 1494,

1518) praebet, apud scriptores orationis solutae et Atticae aetatis et posteriorum temporum frequentissime occurrit atque etiam apud poetas comicos usurpatum est, velut apud Aristophanem (Plut. 591, fr. 685,3 Kock) et Alexidem (fr. 263,1 Kock).

?*ἀ ν έ ν δ υ τ ο ς vide *δυσεύρετος.

ἄ ν ε υ ρ ο ς enervis, laxus, languidus.

Ichn. 143—144 (VI 11—12) ἄνευρα κἀκόμιστ[α] κἀνε[λε]ύθερα | διακονοῦντες,

Veterrimum est exemplum vocabuli, quod et apud Theopompum comicum (fr. 71 Kock) et apud Aristotelem (H. a. IV 11,538 B 7 [comparativus], De gener. an. V 7,787 B 12) occurrit, alibi autem, quantum scio, non invenitur.

ἀ π ε λ ε ύ θ ε ρ ο ς libertus.

Ichn. 192—193 (VIII 8—9) ἢ τάχ' ὁπόταν ἀπίη[ς . . .' ἀπελεύθερος ὢν ολ . [.

Vocabuli aetate Attica et posteriore in sermone communi frequentissimi hic veterrimum occurrit exemplum.

ἀ π ο θ υ μ α ί ν ε ι ν ira fremere.

Ichn. 122 (V 17) [ἤ] τις πίθη[κο]ς κύβδ' ἀποθυμαίνεις τινί.

ἅπαξ εἰρημένον. In papyro manu prima κυβ αποθυμαινεις scriptum est, suprascripto δ manu secunda. In editione principe Hunt, etsi valde dubitanter, coniecturam proposuit κύβδα θυμαίνεις, in secunda autem editione lectionem papyri κύβδ' ἀποθυμαίνεις servavit. Cum et θυμαίνεις et ἀποθυμαίνεις explanatu difficilia viderentur, Hunt in commentario coniecturas nonnullas enumeravit, quas tamen non in textum recepit. Wilamowitz-Moellendorff opinatus est ἀποθυμαίνεις hic idem ac ἀποθυμιᾷς significare, i. e. flatum emittis (Hunt, Oxyrh. Pap. IX p. 73), ἀποπέρδεις (N. Jahrb. XXIX p. 458[4]). Rursus Vollgraff (Mnemosyne NS. 42 p. 84) ἀποθυμαίνεις interpretatus est (in aliquem) furori tuo indulges, monens in ἀπό praepositione vim valde inesse. Simiarum mores si respicias, nonne explicatio placebit ira incensus in aliquem fremis? Sententia enim illa Wilamowitz-Moellendorffii, ni fallor, non simiarum

moribus adaptata est. Interpretatio mea propius accedit ad Vollgraffii sententiam sed magis vi vocabuli *θυμός* primigenia quam significatione verbi *θυμαίνειν* nititur.

**ἀπόπροθεν* procul, eminus.

Ichn. 3 (I 3) . . . *ἀ]πόπροθεν*[. . ,

Vocabulum iam in sermone Homerico occurrit et postea quoque poetae epici eo usi sunt, alibi parcius invenitur velut apud Archilochum (fr. 25,4 Bergk), Theognidem (595). Apud poetas tragicos non occurrit nisi hoc loco Sophocleo.

**ἀπορρυπαίνειν* valde inquinare, ignominia afficere.

Ichn. 153 (VI 21) *ἃ νῦν ὑφ' ὑμῶν λάμ[πρ' ἀ]πορρυπαίνεται*

ἅπαξ εἰρημένον. Littera prima exstincta vocabulum et *[ἀ]πορρυπαίνεται*, ut Wilamowitz-Moellendorff (N. Jahrb. XXIX p. 459[1]) putat, et *[ὑ]πορρυπαίνεται*, quod Huntio aliisque magis placuit, restitui potest. Ambo verba composita nova sunt. Si ad nexum sententiarum spectamus, confitendum est utrumque ei bene adaptatum esse, sed cum *ὑπορρυπαίνειν* vocabulo simplice *ῥυπαίνειν* lenius, *ἀπορρυπαίνειν* autem significatione gravius est, mihi quidem hoc, *ἀπορρυπαίνειν* dico, magis placet.

Verbum simplex *ῥυπαίνειν* primum apud Xenophontem (Resp. Lac. 11,3; medium) occurrit, deinde et aetate Attica et Hellenistica Romanaque apud scriptores pedestres. Sensus idem tralatitius, quem hoc loco Sophocleo verbum compositum prae se fert, ab Aristotele (Rhet. III 2, 1405 A 25), a Dionysio Halicarnasseo (De Isoc. 18, Ant. 11,5) aliisque verbo simplici subicitur (Münscher, Rhein. Museum 69 p. 181). — *ῥύπος*, unde haec derivata sunt, iam ante aetatem Sophoclis apud Homerum (ζ 93) occurrit, et postea et in sermone poetico et in pedestri usurpatum est.

ἀπόψηκτος detersus, perpolitus, callidus.

Ichn. 362—364 (XIV 20—22) *ὁποί|αν θέλεις βάξιν εὕρισκ' ἀπό|ψηκτον·*

ἅπαξ εἰρημένον. Ab *ἀποψήχειν* derivatum, quod quidem sat

raro occurrit, primum apud Aristotelem (H. a. IX, 45,630 B 11; med.), deinde ac saepius aetate Romana velut apud Dioscuridem (5,89), Clementem Alexandrinum (Paed. 100,11). Verbum simplex *ψήχειν* iam apud Euripidem occurrit (Hel. 1567).

Quemnam sensum poeta noster vocabulo *ἀπόψηκτος* subiecerit, nondum constat. Duas enim explicationes viri docti attulerunt, quarum unam Wilamowitz-Moellendorff proposuit, qui *βάξιν ἀπόψηκτον* Rede um einen Verdacht abzuschütteln significare contendit (N. Jahrb. XXIX p. 453[1]), alteram Hunt (well-groomed, elaborate, Oxyrh. Pap. IX p. 84) proposuit, cui Terzaghi (ben rifinita) et Vollgraff (Mnemosyne NS. 42 p. 177) assentiuntur. Si ad usum verbi *ἀποψήχειν* respicias, facile sententiae Wilamowitz-Moellendorffii accedas. Etiam nexus sententiarum huic favet, etiamsi ne Huntii quidem opinioni contrarius sit, quae, ni fallor, ad significationem vocabuli rari *ψηκτός* prope accedere videtur.

*ἀπροψάλακτος

Ichn. 321 (XIII 5) *<απρ>οψάλακτός τις ὀμφὰ κατοιχνεῖ τόπον*,

ἅπαξ εἰρημένον. In papyro scriptum habemus *οψαλακτος*, cui significatio nulla inest. Comparato versu antistrophae 362 huic respondente, perspicuum est unam deesse syllabam. Wilamowitz-Moellendorff igitur *ἀπροψάλακτος* scribendum esse coniecit, Murray, cui Hunt aliique assentiunt, coniecturam *ὀρθοψάλακτος* proposuit, quo vocabulo Sophocles in versu huius fabulae 249 usus est (Oxyrh. Pap. IX p. 82). Etiam *ὀρθοψάλακτος* non nisi hac in fabula occurrit, et cum verisimile sit poetam huiusmodi vocabulis usum esse, ut spectatores et auditores vocum novitate caperet et delectaret, non est, cur necessario putemus eum bis eodem vocabulo novo usum esse. Incertissimum quidem est, quid hoc vocabulum a verbo *ψαλάσσειν* derivatum significaverit. Si ad sensum verbi spectare velis, nihil aliud *ἀπροψάλακτος* valere possit, nisi qui antehac non attrectatus est. Non autem est, cur non verbi primitivi *ψάλλειν* sensum aliquid valuisse ad significationem vocabuli *ἀπροψάλακτος* conformandam putemus. Itaque *ἀπροψάλακτος ομφά* sonum numquam antea e chorda elicitum significare potest.

ἀρίζηλος valde aemulandus, illustris.

Ichn. 70—72 (III 17—19) *συνάμα θεὸς ὁ φίλος ἀνέτω | πόνους προφήνας | ἀρίζηλα χρυσοῦ παραδείγματα.*

Apud Homerum, qui prima huius vocabuli epici exempla praebet, illustrem significat; sensus, quem hoc loco Sophocleo prae se fert, valde aemulandi apud poetas vetustiores non occurrit; apud Apollonium quidem Rhodium aliosque poetas posterioris aetatis utrumque valet. Usque ad aetatem Romanam apud epicos poetas occurrit, alibi raro.

αὐτόχρημα revera, plane, statim.

Ichn. 38 (II 11) *[τῷδ' α]ὐτόχρημα μισθὸς ἔσθ' ὁ κε[ίμενος.*

Hoc testimonium vetustissimum huius vocabuli est, quo etiam Aristophanes (Eq. 78) usus est. Plura exempla apud scriptores aetatis Romanae inveniri possunt.

?*ἀφανῶς occulte.

Ichn. 7—9 (I 7—9) *[ἅπα]ντα φρ[οῦδα καὶ μάτη]ν ἰχνοσκοπῶ | [λαθ]ραῖ' ἰόν[τα τῆλε βου]στάθμου κάπης | [ἀφα]νῶς τέχνα[ισιν·*

Si lacunam papyri viri docti recte expleverunt, quod equidem decernere non ausim, adverbii *ἀφανῶς* veterrimum hoc est exemplum. Postea et apud Thucydidem (III 43,3) et Xenophontem (Hell. V 1,27; superl.) occurrit. Adiectivo *ἀφανής*, quod aetate Attica sat frequens et apud poetas et in sermone pedestri est, iam Solon (fr. 16,1, 17 Bergk) usus est et Sophocles eius exempla nonnulla praebet (e. g. OR. 657, OC. 1556, 1682 cet.).

ἀφύειν haurire.

Ichn. 208 (VIII 26) *φθέγ[μα . . .*

In margine papyri varia lectio *φθέγμα ἀφύσ[ε]ις* adscripta est. Quid textus continuerit, omnino ignotum est. Hunt textum fortasse *ἀφύξεις*, quod idem significaret, habuisse opinatus est (Oxyrh. Pap. IX p. 76). Vocabulum utrumque teste Homero vetustum est; non autem nisi apud poetas occurrunt, *ἀφύσσειν*, ni fallor, saepius in poesi

aetatis Hellenisticae et Romanae, ἀφύειν aetate Attica, etsi usque ad aetatem Romanam in usu erat.

βάδην gradatim, lento gradu, itinere pedestri.

Ichn. 324 (XIII 8) τὸ πρᾶγμα δ' οὗπερ πορεύω βάδην,

Vocabulum hoc commune, cuius exemplum veterrimum apud Homerum (Ν 516) invenias, usque ad aetatem Romanam in usu erat velut apud Appianum (4,2), Dionysium Halicarnasseum (5,44, 9,57), Lucianum (pluries).

βαθύζωνος profunde succinctus.

Ichn. 237 (X 1) νύμφα βαθύζωνε π[αῦσαι χόλου]

— 264 (XI 1) [. . .] λήθη τῆς βαθυζώνου θεᾶς.

Hoc epitheton ad vestitum virginum et mulierum spectans, quo iam Homerus (Ι 590) usus est, postea non nisi in sermone poetico occurrit, velut apud Pindarum, Bacchylidem, Aeschylum (Pers. 155, Choeph. 159), et post Sophoclem, ni fallor, obsoletum est.

*βοηλάτης bubulcus.

Ichn. 117 (V 12) δεινὸς κυκησμὸς εἶχ[ε τὸν βοη]λάτην.

Initium vocabuli, quod lacuna papyri deletum est, recte restitutum esse verisimillimum est.

Vocabuli non admodum frequentis exempla veterrima Pindarus (Ol. 13,26) et Aeschylus (Suppl. 307) praebent. Post Sophoclem praecipue in sermone poetico aut omnino elatiore occurrit et usque ad aetatem Romanam in usu erat velut apud Lycophronem, Aelianum, Libanium aliosque. Lucillio, qui Mercurium βοηλάταν appellavit (Anth. Pal. XI 176,2), fortasse in animum venerunt Ichneutae Sophoclis, ubi ὁ βοηλάτης Mercurius est.

βούκλεψ boum fur.

Fr. 932 Nauck: βοῦκλεψ.

Hoc vocabulum, quo Sophoclem usum esse ex Athenaeo (IX 409 C) apparet, cum epitheton Mercurii sit, e parte Ichneutarum nunc deperdita excerptum esse Wilamowitz-Moellendorff optime opinatus

est (Hunt, Oxyrh. Pap. IX p. 68). Quaenam autem forma recta huius vocabuli *ἅπαξ εἰρημένον* sit, non constat, libri enim manuscripti Athenaei aut *βοοικλεψ* aut *βοόκλεψ* habent, quod editores in *βοίκλεψ* (Musurus, Kaibel) vel *βοῦκλεψ* (Dindorf) emendaverunt, quorum illud mihi quidem verisimilius videtur, cum ad lectiones codicum spectem, *βοῦκλεψ* autem Wilamowitz-Moellendorff et Hunt scribunt.

**βούσταθμον* boum stabulum.

Ichn. 7—9 (I 7—9) *[ἅπα]ντα φρ[οῦδα καὶ μάτη]ν ἰχνοσκοπῶ | [λαθ]ραῖ' ἰόν[τα τῆλε βου]στάθμον κάπης | [ἀφα]νῶς τέχνα[σιν.*

Wilamowitz-Moellendorff teste Huntio coniecit *[βου]στάθμου* scribendum esse, quod vocabulum sane rarissimum, sed et sententiae et lacunae papyri aptissimum est. Hoc vocabulum adhuc apud Euripidem tantum (Iph. Aul. 76, Hel. 29, 359) repertum erat. Sophocles quidem formam singularem habet, Euripides forma plurali usus est. Discerni non potest, utrum Sophocles masculini an neutri generis forma usus sit; apud Euripidem ambae occurrunt.

**βράβευμα* victoriae praemium.

Ichn. Fr. 26. . . .] *βραβευμ* [. . .

Incertum est, utrum hoc vocabulum *βράβευμα* sit an forma quaedam alia eiusdem radicis. *βράβευμα* non legitur nisi aetate Byzantina in Annalibus Nicetae (21,3), sed vocabula alia ab eadem stirpe orta velut *βραβεία, βραβεύς, βραβεύειν* apud Aeschylum, Sophoclem, Euripidem occurrunt, ut incredibile non sit Sophoclem vocabulo *βράβευμα* uti potuisse, quamquam unicum, quod nobis adhuc cognitum est, huius vocis exemplum apud illum demum scriptorem 12:mi p. Chr. n. saeculi legitur.

βραχυσκελής brevia crura habens.

Ichn. 297 (XII 8) *πλεῖστον με[τ]αξύ, γογγύλον γάρ ἐστι καὶ βραχυσκελές.*

Testimonium hoc est veterrimum huius vocabuli. Postea Aristoteles (De incessu anim. 17, 714 A 13, De part. anim. IV 12, 692 B 5), Galenus (IV 343), Geoponici (19,6 p. 1223) eo usi sunt.

γειτνιᾶν vicinum esse.

Ichn. 231—232 (IX 22—23) *καὶ τ[α]ῦτ' ἀφεῖσα σὺν ποδῶν λα-κ[τίσμασι] | [κ]ληδὼν ὁμοῦ πάμφυρ[τ]' ἐγειτν[ία στέγῃ.]*

Testimonium veterrimum vocabuli est postea sat communis, quo Aristophanes (Eccl. 327) et aetatis Atticae scriptores sermonis pedestris atque etiam aetatis Romanae scriptores usi sunt, velut Lucianus (De conscr. hist. 55). — *γείτων*, unde derivatum est, iam apud Hesiodum (Op. 345) et deinde apud Theognidem (302), Anacreontem (fr. 60 Bergk) Aeschylumque (Pers. 67) invenitur; postea commune est.

γελοῖος ridiculus, risu dignus.

Ichn. 360—361 (XIV 18—19) *[ο]ὐκ ε<ἰς> θε<οὺς> τὰ μῶρα καὶ γελοῖα χρὴ | [χ]ανόντα κλαίειν ὑστέρως, ἐγὼ λέγω.*

Vocabuli usque ad aetatem Romanam in oratione soluta sat communis hoc exemplum veterrimum est, si formam *γελοῖος* respicias; semel apud Homerum (*B* 215) forma longior *γελοίιος* occurrit.

γηρύειν sonare, dicere.

Ichn. 243—244 (X 7—8) *ἐν [τ]όποις τοῖσ[δε τίς νέρθε γᾶς ὧδ' ἀγα]|στῶς ἐγάρυσε θέσπιν αὐδά[ν;]*

Medio, quod dicitur, *γηρύεται* iam Hesiodus (Op. 260) usus est, activi testimonia apud Pindarum (Ol. 2,158, Pyth. 4,166) veterrima occurrunt. *α* dorice pro *η* hic, in parte chori lyrica scriptum est. Vocabulum non nisi in sermone poetico occurrit non solum aetate Attica sed etiam aetate Hellenistica, velut apud Theocritum (pluries) Philitam (16,1 Bach). — Substantivi *γῆρυς*, quo iam Homerus (*Δ* 437) usus est, exempla apud Sophoclem (OR. 187, Ichn. 65, 290) exstant.

Γράπις exuvium cicadae vel serpentis.

Ichn. 177 (VII 19) *ὁ Δράκις, ὁ Γράπις* [. . .

Inter *ἅπαξ εἰρημένα* numerandum esse videtur, cum hucusque non nisi apud Hesychium occurrat, qui *γράπιν* esse *γῆρας τέττιγος*

ἢ ὄφεως καὶ τῶν ἐκδυομένων sed etiam εἶδος ὀρνέου dicit nullis exemplis e scriptoribus Graecis adductis.

Carolus Robert, vir clarissimus (Hermes 47 pp. 548—549) Silenum in vv. 170—196 Satyros singulos vestigia boum indagantes nominatim adhortatum esse opinatus est. Ingeniose enim coniecit versus 170 et sequentes, qui in papyro choro sunt tributi, maximam partem Sileno esse adiudicandos. Versibus admodum mutilatis certo argui non potest, quot choreutarum hoc modo nominati sint. Integra enim, ut videntur, haec sunt nomina: *Γράπις* (177), *Δράκις* (177), *Οὐρίας* (178), *Στράτιος* (183). Etiam *Τρέ[χις]* (188) et *Κρ[ο]κί[ας]* vel *Κρ[ε]κί[ας]* (186) et *Μέθυ[σος]* vel *Μεθύ[ων]* (179) nomina esse conicere licet, etsi quae supplevit Robert incerta sunt. Omnino autem sententia illa, etsi primo aspectu aliquid novi et inopinati habere videatur, quantum equidem iudicare possum, admodum est approbanda. Chorus sane tragicus totus unius, ut verbis illis utar Horatianis, actoris partes officiumque virile defendere personamque plerumque civitatis vel consilii vel catervae cuiusdam gerere solet. At cum in fabulis tragicis nonnullis chorus re vera particeps est actionis, tum in fabulis comicis choreutarum partes nonnumquam distinctas esse iam Vollgraff ad confirmandam Roberti opinionem indicavit (Mnemosyne NS. 42 p. 165). Ostendit enim in quibusdam comoediis Aristophanis choreutas singulos nominatim appellatos esse, quod vel pluribus quam quae attulit exemplis, si necesse sit, confirmari potest. Et certe quidem nomina, quibus choreutae appellantur. partim saltem ad indolem fabularum accommodata sunt. Aristophanes enim in Acharnensibus inter alia choreutarum nomina *Μαριλάδης* (609), et *Πρινίδης* (612) carbonariis aptissima affert, in Pace (1142) *Κωμαρχίδην* rusticum nominat, in Lysistrata *Νικοδίκην* (321) et *Ῥοδίππην* (370) feminas appellat. Alia choreutarum nomina, quae his in comoediis inveniuntur, fabularum singularum indoli non adaptata esse videntur. Nomina autem Satyrorum, quibus Robert Sophoclem hic usum esse putat, iis aptissima sunt. Alia enim corporis habitum indicant, ut *Γράπις*, *Δράκις*, *Κροκίας (Κρεκίας)*, alia indolem, ut *Τρέχις*, *Μέθυσος Στράτιος*. Utrum *Οὐρίας* ad speciem an ad indolem respiciat, diiudicari non potest, etsi ei magis

corporis quam indolis inesse videtur. Optime quidem haec nomina cum nominibus Satyrorum, quae a virgine docta Ch. Fränkel e vasculorum inscriptionibus collecta sunt (Satyr- und Bakchennamen auf Vasenbildern. Bonnae 1912), congruunt.

?**γυῖον* membrum.

Ichn. 274 (XI 11) [*γυίοι*]*ς ἐρείδει παιδὸς εἰς ἥβης ἀκμήν,*

Coniectura Wilamowitz-Moellendorffii (Hunt, Oxyrh. Pap. IX p. 80) incertissima est, tamen et lacunam bene explet et sententiae optime convenit. Vocabulum, cuius exempla Homerus veterrima praebet, poeticum est, etsi a scriptoribus etiam orationis solutae nonnullis usurpatum est, ex quibus Hippocrates et (aetatis Romanae) Plutarchus Lucianusque afferantur.

δειλοῦσθαι timere, pavere.

Ichn. 150 (VI 18) *οὐ δειλουμένου*

In papyro legitur *οὐκ εἰς φυγὴν κλίνοντος, οὐ δουλ*[*ο*]*υμένου*, adscripta in margine annotatione *οὐ δειλουμένου Νί(κανδρος?)*.

Verbi *δειλοῦσθαι* exempla non nisi aetatis recentioris, aetate quae dicitur classica posterioris, exstant (Macc. I 16,6, Diodorus Siculus XX 78,1 [lect. varia]), qua de causa Hunt Nicandri lectionem reiecit, quam Wilamowitz-Moellendorff (N. Jahrb. XXIX p. 453[1]), cui C. Robert (Hermes 47 p. 549) assensit, praefert, cum hoc verbum sententiam meliorem praebeat quam verbum, quod est *δουλοῦσθαι*. Alia eiusdemmodi verba, velut *ἀγριοῦσθαι*, *γαυροῦσθαι*, *θηριοῦσθαι*, quae hac aetate in usu erant, etiam *δειλοῦσθαι* usurpari potuisse confirmant.

δέρμα pellis, cutis.

Ichn. 307 (XII 18) . . .] *δέρμα κ*[. .]*στ* .[

Vocabulum sermonis cotidiani, quo iam Homerus (*δέρμα βόειον*) usus est. Apud scriptores orationis solutae et apud poetas comicos aetatis Atticae et Hellenisticae Romanaeque occurrit itemque in inscriptionibus, nulla autem apud poetas tragicos exempla exstant nisi in fabulis satyricis Aeschyli (Psychagogi fr. 275,4 Nauck), Euripidis (Cycl. 527, 528) et hac quidem Sophoclea.

διακαλεῖσθαι vocare.

Ichn. 166—167 (VII 8—9) *ἐγὼ πα[ρ]ὼν αὐτός σε προσβιβῶ λόγῳ | κυνορτικὸν σύριγμα διακαλούμεν[ος]*.

ἅπαξ εἰρημένον. E verbo percommuni *καλεῖν* derivatum.

διανύτειν conficere, perficere.

Ichn. 64 (III 11) *διανύτων ο[* . . .

Formae e *διανύτειν* vel *διανύειν* derivatae iam apud Homerum (ρ 517), in hymnis Homericis in Cererem (380) et Apollinem (108) et apud Hesiodum (Op. 635) inveniuntur et deinde usque ad aetatem Romanam in usu fuerunt, in primis apud scriptores orationis solutae.

διανύχιος nocturnus.

Ichn. 66—67 (III 13—14) *πῶς πᾶ τὰ λάθρι[α νύχια] | κλέμματα ποσσὶ* . . .

In margine adscriptum est *δ]ιανύχ(ια) οὕ(τως) τὸ α´ [ἀ]πεγέγρ(απτο) ἐν τ(ῷ) Θέω(νος)*. Quid textus papyri continuerit, diiudicari non potest extrema versus parte deleta, sed e varia illa lectione *νύχια* vel tale quid fuisse scriptum colligere licet (Hunt, Oxyrh. Pap. IX p. 70). Quaenam lectio in archetypo Sophoclis exstiterit, non est quo modo diiudicemus.

διανύχιος ἅπαξ εἰρημένον est. *νύχιος*, quo vocabulo Hunt lacunam explere conatus est, vox poetica est et quidem primum apud Hesiodum occurrit (Theog. 991 [lectio varia], Op. 523), deinde a tragicis poetis (etiam a Sophocle) usurpatum est.

**διατόρως* perforando.

Ichn. 309 (XII 20) *[ἐνήλατα ξύλ᾽ ὡς τρίγομφα διατ]όρως ἐρείδεται*.

ἅπαξ εἰρημένον. Incertum vocabulum, quod coniectura Schenklii creatum est (Hermes 48 p. 153—155), adiectivo *διάτορος* comparato admitti potest. Schenkl fragmentum Sophocleum iam antehac cognitum, quod corruptum esse constat (fr. 293 Nauck *ἐνήλατα ξύλα τρίγομφα διατορεῦσαι σε δεῖται*), huic loco accommodari posse

contendit et sententiam suam optime confirmavit, etsi eam non omnes approbaverunt. Aliquid exquisiti his versibus quidem inest, sed a Sophocle non alienum erat, descriptionem lyrae terminis, ut dicunt, technicis et imaginibus turgentem conscribere. — Adiectivo *διάτορος*, unde hoc adverbium derivatum est, active (penetrans) iam Aeschylus (Prom. 76, 183, Eum. 567), passive (perforatus) Sophocles (OR. 1034) usus est.

διαχαράσσειν incidere, percutere.

Ichn. 255 (X 19) *καὶ τίς ποτ' αὐτῷ δι[α]χαράσσεται βροτῶν.*

Testimonia huius vocabuli adhuc cognita omnia apud scriptores aetatis satis recentis reperiuntur velut apud Plutarchum (Mor. 636 C, 974 B) et scriptores quosdam Byzantinae aetatis. Ibi autem significationem dissecandi, dividendi prae se fert. Quamnam vim nostro loco habeat, non certo diiudicari licuit, sed *φθέγματι διαχαράσσεσθαι*, ut perhibuit Wilamowitz-Moellendorff (N. Jahrb. XXIX p. 453[1]), sonu percuti significare possit, etsi hunc sensum verbo *διαχαράσσειν* inesse ex exemplis hucusque cognitis non elucet. Vollgraff (Mnemosyne NS. 42 p. 170) *διαχαράσσεσθαι* risus captandi causa *κατ' ἀντίφρασιν* pro *τέρπεται* usurpatum esse dicit, quod bene cum hac significatione congruit.

?**δίωγμα* persecutio, praeda.

Ichn. 135 (VI 3) *ἐμ[ὸν] δίω[γμά γ' οὐδα]μῶς ὀνήσετε.*

Si recte lacunam Hunt explevit, quod sane, annotatione, quam ipse in commentariis editionis principis (Oxyrh. Pap. IX p. 74) huic loco adscripsit, perlecta, dubitare licet, hoc loco testimonium veterrimum praedae significationis huic vocabulo subiectae habemus, quae significatio apud Xenophontem (De ven. 3,9) recurrit. Persecutionem iam Aeschylus (Eum. 139) hoc vocabulo significabat. Exempla eius etiam aetate Attica recentiore et Hellenistica occurrunt velut apud Platonem et Polybium (pluries).

?**δονεῖν* quatere, agitare.

Ichn. 281—282 (XI 18—19) *τοιόνδε θη[ρὸς ἐκ θανόντ]ος ἡδονῆς | ἔμμεστον ἄ[γγος εὗρε κ]αὶ κάτω δ[ονεῖ.]*

Coniecturae, quibus Wilamowitz-Moellendorff lacunas papyri explere conatus est (Hunt, Oxyrh. Pap. IX p. 80), etsi ingeniosae tamen incertissimae sunt. Verbo enim *δονεῖν*, quod Hunt anglice reddidit: makes resound, vim sonum efficiendi subiectam esse ex exemplis aliunde cognitis, quantum equidem scio, clare non apparet. Hoc loco Cyllenem nympham sonum quatiendo elici dixisse non credibile videtur, cum de lyra, instrumento a Mercurio invento, locuta sit. — Vocabulum commune *δονεῖν*, quod iam Homerus praebet, deinde usque ad aetatem Romanam et apud scriptores orationis solutae et apud poetas tam scaenicos quam lyricos occurrit.

δορά pellis.

Ichn. 219—220 (IX 10—11) *ὃς αἰεὶ νεβρίνῃ καθημμέν[ο]ς | δορᾷ.*

— 295 (XII 6) *βραχὺς χυτρ<ώ>δης πο[ι]κίλῃ δορᾷ κατερρικνωμένος.*

— 340 (XIII 24) .] *φο . δ[ο]ρα* [. . .

— 365—367 (XIV 23—25) *<ὅ>πως τὸ χρῆμ' οὗτος εἰργασμένος | ῥινοκόλλητον ἄλλων ἔκλεψεν βοῶν | που δορὰ[ς ἢ] 'πὸ τῶν Λοξίου.*

Vocabuli, cuius veterrimum praebet exemplum Theognis (55), post Sophoclis aetatem multa exstant exempla et apud poetas (Euripides Cycl. 329, cet.) et apud scriptores orationis solutae praecipue aetatis Atticae (Herodotus, Plato, Aristoteles), sed etiam aetate Romana (Plutarchus) occurrit. Elatioris est sermonis.

Δράκις

Ichn. 177 (VII 19) *ὁ Δράκις, ὁ Γράπις* [. . . . .]

ἅπαξ εἰρημένον. Verisimile est nominis proprii loco usurpatum esse (vide *Γράπις*). Facere non possum, quin e glossariis latino-graecis vocabula *δρακίζειν*, quo scurrari verbum latinum explicatur, et *δρακίστης*, quod vocabulo scurra respondet, comparandi causa afferam (Corpus Glossariorum Latinorum II 180,45 et 46), etsi apud scriptores Graecos non inveniantur. Satyro enim nomen, cui huiusmodi vis inest, optime convenit. — Nomina, quae sunt *Δράκης*, *Δράκων*,

Δράκιος cet., et apud scriptores Graecos et in inscriptionibus inveniuntur.

?**δύσβατος* qui difficulter scandi potest, impervius.

Ichn. 31—32 (II 4—5) . . . *Κυλ]λήνης τε δύ[σβατον]* | . . . .] *τε χῶρον ἐς δ'ύ[* . . .

Ad lacunam explendam Wilamowitz-Moellendorff coniecturas *δύ[σβατον]* et *δύ[σκρημνον]* proposuit; e versibus enim mutilis apparet Apollinem de loco, ubi Cyllene nympha habitabat, montano locutum esse, ut verisimile sit vocabulis, quae perierunt, locum illum descriptum esse. Concedendum est coniecturas valde dubias esse, *δύσβατος* quidem minus quam *δύσκρημνος*, quod novum vocabulum effictum videtur esse.

Vocabulum *δύσβατος*, cuius veterrimum exemplum Pindarus (Nem. 7,143) praebet, apud scriptores Atticos Sophocle recentiores orationis pedestris velut Xenophontem (Cyrop. II 4,27) et apud posteriores aetatis Hellenisticae Romanaeque velut apud Polybium (I 30,8), Diodorum Siculum (XIX 74,6) occurrit.

?**δυσεύρετος* inventu difficilis.

Ichn. 277 (XI 14) *[δυσεύρε]τός [τ' ἔτ]' ἐστὶ τοῦ πατρὸς θέσει.*

Coniecturam Murraii Hunt in textum recepit, Pearsoniana *[ἐγκλησ]τέος* reiecta (Oxyrh. Pap. IX p. 80). Vollgraff *[κἀνένδυ]τος [γ' ἔτ']* cet. legendum esse putat (Mnemosyne NS. 42 p. 172) comparato Hymno Homerico in Mercurium, ubi Mercurius, cum boves rapit, sine pallio degit. Deum infantem inventu difficilem dici mihi quidem verisimilius videtur quam veste carentem. Incerta sane coniectura est.

Vocabulo *δυσεύρετος*, cuius veterrimum exemplum Aeschylus (Prom. 816) praebet, postea Euripides (Bach. 1221) et Xenophon (De vect. 4,13) usi sunt. Aetate Romana apud scriptores orationis pedestris, velut apud Plutarchum (Mor. 97 B), Lucianum (Tim. 25), alios saepius occurrit.

?**δύσκρημνος* vide **δύσβατος*.

*δύσλοφος cervici gravis, onerosus.

Ichn. 4 (I 4) . . . δύσ]λοφον φρενὶ [. . .

Coniectura, qua Hunt vocabulum mutilum supplere conatus est, quamvis incerta sit, tamen admodum est probabilis.

Vocabulum, quod δύσλοφος est, apud Theognidem (848, 1024) et Aeschylum (Prom. 931; comp.) legitur; aetate posteriore apud Aelianum (N. a. 16,11) occurrit.

?*δυσπευθία vide *ἀκολουθία (cap. III).

*ἐγχάσκειν inhiare, irridere, illudere.

Ichn. 344 (XIV 2) . . . ἐγχ]άσκοντα τῇ 'μῇ μωρίᾳ.

Si reliquiae vocabuli recte suppletae sunt, quod non est cur in dubium ducam, exemplum habemus veterrimum vocabuli sat rari. Significatio primaeva inhiandi apud Lucianum (Icarom. 13) apparet, tralaticia illa irridendi apud Aristophanem (pluries) et deinde aetate Romana apud Lucianum (De morte Peregr. 13) et alios occurrit. Vis, quae in hoc verbo inest, comica nostro quoque loco perspicua est.

?*ἔδεσμα cibus.

Ichn. 268 (XI 5) [κἄδεσμ]α καὶ ποτῆτα καὶ κοιμήματα

Hunt coniectura Wilamowitz-Moellendorffii nisus [κἄδεστ]ά in textum recepit (Oxyrh. Pap. IX p. 79). At adiectivo hocce reiecto Bucherer (Berl. phil. Wochenschr. 32 p. 1108) monuit substantivum hic requiri, quod bene cum ποτῆτα coniungi possit; quam ob rem coniecit legendum esse ἔδεσμα, comparandi causa allatis locis e Platonis Timaeo 72 E ποτῶν καὶ ἐδεστῶν et 73 A πώματος ἐδέσματος, ubi vocabula eiusdem generis coniuncta sunt, monuitque vulgo ποτής cum substantivis ἐδητύς, σῖτος, βρώμη, βρωτύς componi, quorum nullum hoc loco inseri possit. Coniectura Buchereri mihi quidem verisimilis videtur.

ἔδεσμα in Batrachomyomachia (31), apud poetas comicos (Antiphanes, fr. 26,10, 82,1 Kock), apud scriptores orationis solutae aetatis Atticae, velut apud Platonem (pluries), Isocratem (De pace 181

C), et aetate Romana velut apud Plutarchum (Timol. 6,2) et Hermam (pluries) occurrit.

εἶα eia.

Ichn. 87 (IV 7) ἄγ' εἶα δὴ πᾶς σ[. . .

— 168 (VII 10) ἀλλ' εἶ' [ἐ]φίστω τριζύγης οἴμον βάσιν.

Adverbium hortativum, quo poetae et tragici et comici aetate classica satis frequenter usi sunt, ut e testimoniis sermonis Aeschyli, Euripidis, Aristophanis apparet. Postea raro occurrit velut apud Platonem (Soph. 239 B), Theocritum (5,78), Meleagrum (Anth. Pal. V 151,4). Cotidiani certe est sermonis.

ἐκκυνηγέσσειν venari, sectari.

Ichn. 75—76 (III 22—23) λείαν ἄγραν σύλη[σ]ιν ἐκκυνηγέσαι | Φ[ο]ίβου κλ[ο]παίας βοῦς ἀπεστερημένο[ν.

ἅπαξ εἰρημένον. ἐκκυνηγέσαι utrum forma verbi ἐκκυνηγεῖν an ἐκκυνηγέσσειν sit, nondum inter viros doctos constat. De hac quaestione autem vide, quae ad κυνηγέσσειν attuli. Ambo, et ἐκκυνηγεῖν et ἐκκυνηγέσσειν, hucusque ignota erant; vocabulum quidem ἐκκυνηγετεῖν in sermone poetico usurpatum esse testantur Aeschylus (Eum. 231), Euripides (Ion 1422), Lycophro (1025).

ἐλευθέρωσις liberatio.

Ichn. 158—159 (VI 26—VII 1) καὶ τὴν ἐλευθέρωσιν ἣν κατήνεσεν | ὑμῖν τε κἀμοί·

Veterrimum hoc est testimonium vocabuli et unicum, quod apud poetas repertum sit. At et Thucydides (I 132,4, III 10,3) et Aristoteles (Polit. V 11, 1315,37) Demosthenesque (17,15 Blass) eo usi sunt et significatione paulo tralata Plato (Resp. VIII 561 A). — Verbo ἐλευθεροῦν, unde derivatum est ἐλευθέρωσις, iam Aeschylus crebro usus est; apud Sophoclem semel invenitur (OR. 706). Apud poetas Atticos Sophocle recentiores itemque apud orationis solutae scriptores aetatis Atticae occurrit. Posteriores his vocabulis usi non sunt.

ἔμμεστος impletus, plenus.

Ichn. 281—282 (XI 18—19) *τοιόνδε θη[ρὸς ἐκ θανόντ]ος ἡδο-νῆς | ἔμμεστον ἄ[γγος εὗρε κ]αὶ κάτω δ[ονεῖ.]*

Veterrimum est exemplum vocabuli, quod hucusque solum ex epistula, Platonis quae dicitur, septima (338 D) cognitum erat. Commemorandum est verbo ex *ἔμμεστος* derivato *ἐμμεστοῦν* Sophoclem solum et eum quidem bis usum esse (Ant. 420 et El. 713), utroque quidem loco in tmesi.

ἐμπεδοῦν stabilire, firmare.

Ichn. 49 (II 22) *μοῦνον ἐμπ[έδου τ]ά[δε.*

— 50 (II 23) *τὰ[ς βοῦς ἀπάξω σ]οι· σὺ δ' ἐμπέδου [δόσι]ν.*

Veterrimum est exemplum vocabuli, quod apud scriptores orationis solutae et aetatis Atticae et posterioris usque ad aetatem Romanam sat frequenter occurrit; etiam a poetis velut ab Euripide (Iph. T. 790) et Aristophane (Lysistr. 211, 233) usurpatum est. Sublimioris dictionis pro *βεβαιοῦν* est, ut monet Herwerden (Appendix p. 74). — Adiectivo *ἔμπεδος*, unde hoc verbum derivatum est, Sophocles et multi poetarum inde a temporibus Homeri usi sunt.

ἐνήλατα spondae.

Ichn. 309 (XII 20) *[ἐνήλατα ξύλ' ὡς τρίγομφα διατ]όρως ἐρεί-δεται.*

De hoc versu admodum mutilo et corrupto vide quae ad *δια-τόρως* attuli. — Vocabuli usu sat rari veterrimum est hoc exemplum Sophocleum; eandem habet vim apud scriptores aetatis Romanae Philonem, Artemidorum, Iosephum. Pollux etiam (10,34) *μέρη δὲ κλίνης καὶ ἐνήλατα* dicit, exemplo Ichneutarum adhibito. Apud Euripidem sensum clavorum, qui axi infinguntur (Hipp. 1235), et lignorum, quae in scalis sunt, rectorum (Suppl. 729, Phoen. 1179) prae se fert.

**ἐξάνειν* perficere.

Ichn. 98 (IV 18) *τί δρῶμεν, ὦ τᾶν; ἢ τὸ δέον [ἐξ]ήνομεν;*

ἅπαξ εἰρημένον. In textu post lacunam litterae leguntur *νομεν*; antecedit littera aliquantum incerta (Oxyrh. Pap. IX p. 42), quam

editor η legi posse indicat. Wilamowitz-Moellendorff novo vocabulo effICTO [ἐξ]ήνομεν scribendum esse coniecit; Murray [ἄρ'] ἤνομεν scribendum esse perhibet (Hunt, Oxyrh. Pap. IX p. 72). Quarum coniecturarum illam in editione principe Hunt approbavit, hanc in editione secunda. Etsi inutile videri possit verbum novum fingere, cum alio modo lacuna expleri possit, concedendum esse videtur hunc certe locum litteris a Murraio suppletis non ita bene sanari ac coniectura Wilamowitz-Moellendorffii. Quam sententiam bonis, ut mihi videtur, argumentis confirmavit Münscher, qui (Rhein. Museum 69 p. 175) coniectura Murraiana reiecta monet ἤ et ἄρα una in sententia male congruere et in memoriam vocat Sophoclem (OR. 157) verbo ἐξανύειν usum esse, quod idem ac ἐξάνειν significet. Itaque nescio an vocabulum novum ἐξάνειν recte se habere putandum sit. — Quod ad ἄνειν pertinet, non ita frequenter atque ἀνύειν occurrit, sed tamen inde a temporibus Homeri usque ad quintum saeculum apparet; a Sophocle autem non usurpatum est.

?*ἐξευθετίζειν operam dare, praebere.

Ichn. 269—270 (XI 6—7) *λιχνῖτιν τροφὴν* | *[ἐξευθ]ετίζω νύκτα καὶ καθ' ἡμέραν.*

ἅπαξ εἰρημένον hic habemus, si re vera lacuna papyri a Wilamowitz-Moellendorffio (Hunt, Oxyrh. Pap. IX p. 79) recte expleta est. Optime sententiae quidem congruit et spatio aptissimum est, sed dubii tamen aliquid inest, cum verbum hocce compositum aliunde non cognitum hic coniectura effictum sit, quam Wilamowitz-Moellendorff sane *ἐξεντρεπίζειν* verbo, quo Euripides (El. 75) usus est, commendari monet (Oxyrh. Pap. XI p. 79). — Forma simplici *εὐθετίζειν* primum Hesiodus (Theog. 541), deinde Hippocrates, et aetate Romana Byzantinaque scriptores orationis pedestris usi sunt.

ἐξιχνεύειν investigare, vestigiis consequi.

Ichn. 160—161 (VII 2—3) *εἰ μὴ 'νανοστήσαντες ἐξιχνεύσε[τε]* | *τὰς βοῦς*

— 200—201 (VII 18—19) *ἀλλ' αὐτὸς σὺ ταῦθ' [ὅπῃ θέλεις]* | *ζήτει τε κἀξίχνευε*

Hoc vocabulo, cuius primum exemplum Aeschylus (Ag. 368) praebet, etiam Euripides (Bacch. 352, 817) usus est; deinde apud Timotheum (Persae 161) legitur. Aetate Hellenistica et Romana apud scriptores orationis solutae velut Polyaenum, Lucianum et auctorem argumentorum fabularum Menandri nuper a Huntio (Oxyrh. Pap. X 1235,49) editorum occurrit. — Verbo simplici *ἰχνεύειν*, cuius veterrimum exemplum Pindarus (Pyth. 8,48) praebet, et poetae et scriptores orationis solutae aetate Attica Hellenisticaque usi sunt.

**ἐξοργίζεσθαι* animo valde perturbari?

Ichn. 137 (VI 5) [ο]ἴῳ 'κπ[λ]αγέντες ἐνθάδ' ἐξ[ωρ]γίσμεθα

In margine papyri varia lectio *ἐξενίσμεθα* ex exemplari Theonis adscripta est.

Propter lacunam non constat, quaenam sit vera huius loci lectio, *ἐξωργίσμεθα* autem spatio optime aptum est. Huius sane vocabuli significationem sententiarum nexui non convenire opinatus vir doctissimus Hunt in textum lectionem variam *ἐξενίσμεθα* recepit, etsi significatio e x p a v e s c e n d i, o b s t u p e s c e n d i, quae a poeta huic vocabulo subiecta sit, non nisi aetate Hellenistica posteriore Romanaque occurrat. At facere equidem non potui quin lectionem papyri, si recte expleta esset lacuna, retinendam esse putarem. Difficile enim est explicare, quo modo *ἐξενίσμεθα* in *ἐξωργίσμεθα* mutatum sit, cum memineris verbum, quod est *ἐξοργίζεσθαι*, vulgo certe i r a e x a r d e s c e n d i vim prae se ferre, quae a sensu huius loci prorsus abhorrere videatur, eadem autem de causa facillime fieri potuisse, ut pro *ἐξωργίσμεθα* a librario quodam aetatis Hellenisticae vel Romanae *ἐξενίσμεθα* illud sit scriptum. Nonne autem *ἐξοργίζεσθαι* vocabulo perturbationem animi non ira sed alio quodam impetu irritati significari potuerit? Primitus certe *ὀργή* non i r a m sed i n d o l e m omnino a n i m i et deinde v e h e m e n t e m a n i m i i m p e t u m significasse constat. Etiam apud Sophoclem exempla occurrunt, ubi *ὀργή* nondum i r a e vim adeptum sit (e. g. OR. 1241). His consideratis mihi paene persuasum est, etiam verbo *ἐξοργίζεσθαι* hoc loco vim omnino animi perturbationis vel animi impetus inesse.

Activae vocabuli ἐξοργίζειν formae primum praebet exemplum Xenophon (Oec. 17,15), passiva in Batrachomyomachia (184) et apud Xenophontem (Eq. 9,2) et Aristaenetum (2,20) occurrit.

ἐξορμενίζειν caulem emittere.

Ichn. 275—276 (XI 12—13) κἀξορμενίζει κοὐκέτι σχολάζεται | βλάστη·

Fragmentum Ichneutarum iam antea cognitum (fr. 294 Nauck). Vocabulum perrarum, quod hoc Ichneutarum loco excepto semel tantum, in fragmento fabulae comicae Nicostrati (fr. 34,2 Kock), occurrit. — ὄρμενος, unde ἐξορμενιζειν derivatum est, Atticae dialecti est, ut Athenaeus (II 62 F) et Eustathius (899) monent, apud scriptores autem non videtur occurrere.

ἐξυπέρχεσθαι se subducere.

Ichn. 205—206 (VIII 23—24) οὐδ' ἐξυπελ[θεῖ]ν τ[οῦ πόνου πρίν γ' ἂν σα]φῶς | εἰδῶμεν

ἅπαξ εἰρημένον. Hunt, qui lacunam sine dubio recte explevit, monet verbum ἐξυπέρχεσθαι nihil aliud esse ac tritum illud ὑπεξέρχεσθαι variationis vel metri causa paulo immutatum, quo etiam Sophoclem usum esse fragmentum fabulae incertae testatur (fr. 690,2 Nauck), si lectionem codicis Athenaei Dipnosophistarum manuscripti retinemus, quam Heimsoeth Nauckio assentiente in ὑπεξελεῖν mutavit, Kaibel recte restituit. — Vocabula, quibus praefixae sunt praepositiones ἐξυπο- multo sunt rariora quam verba praefixis ὑπεκ-, ὑπεξ- instructa. Haec enim in lexico Passowii (ed. 5) enumerantur 96, quibus addi possunt 5 ab ὑπεξανα- et 7 ab ὑπεκπρο- incipientia, illa 8 tantum sunt, quorum plurima non a verbo simplici praefixo ἐξυπο- aucto sed a verbo cum ὑπο- composito, cui insuper praefixum sit ἐξ, formata esse videntur. Pleraque vocabula ab ἐξυπο- incipientia rara et poetica sunt. Ter quidem factum est, ut ad idem verbum et ἐξυπ- et ὑπεξ- additum sit, quae sunt ἐξυπαλύσκειν — ὑπεξαλύσκειν, ἐξυπανιστάναι — ὑπεξανιστάναι, ἐξυπέρχεσθαι-ὑπεξέρχεσθαι, quibus fortasse addendum sit ἐξυφηγεῖσθαι — ὑφεξηγητικός.

ἐπανθεμίζειν efflorescere, emanare.

Ichn. 322—323 (XIII 6—7) πρεπτὰ <δ'αὖ> διὰ τόνου φάσματ' ἔγ|χωρ' ἐπανθεμίζει·

In margine papyri ex exemplari Theonis varia lectio scripta est ἐπανθεμίζεται, quae metri causa, comparato versu 365 huic versui in cantico chori respondente, non toleranda est.

ἅπαξ εἰρημένον. Quid significet quoque modo usurpatum sit non inter viros doctos constat. Hunt (Oxyrh. Pap. IX p. 82) hunc versum anglice vertit: through its tones culls clear images of the scene(?), sed addit ἐπανθεμίζειν etiam intransitive usurpari potuisse (flit). Verbo ἐπανθίζειν comparato Stahl (Rhein. Museum 68 p. 308) ἐπανθεμίζειν proprie transitivum esse contendit (ausschmücken). Huic assentiens Münscher (Rhein. Museum 69 p. 185—186) tamen lectione Theonis varia allata monet verbum proprie transitivum hoc loco intransitive usurpari (emporblühen). Difficile est iudicatu, cum tota sententia nondum tali modo, ut omnibus placeat, explicata sit; mihi quidem efflorescendi et emanandi significatio huic loco aptissima esse videtur (cf. πρεπτός). Fueritne verbum ἅπαξ εἰρημένον proprie transitivum an non, vix decerni posse videtur.

Verbi simplicis ἀνθεμίζεσθαι unicum praebet exemplum Aeschylus (Suppl. 73). Etiam ἐπανθίζειν, quocum ἐπανθεμίζειν comparari potest, primum apud Aeschylum (Choeph. 150, Sept. 949, Ag. 1459 [medium]) et quidem metaphorice occurrit sicut ἐπανθεμίζειν loco nostro.

ἐπεικέναι decere, convenire.

Ichn. 271—272 (XI 8—9) [ὁ δ' α]ὔξεται κατ' ἦμαρ οὐκ ἐπεικότα | [μέγι]στος,

Verbum quod dicitur finitum, cuius primum exemplum apud Homerum (*I* 392) occurrit, postea nonnumquam apud poetas epicos et lyricos, velut Pindarum, Apollonium Rhodium, aetate Romana etiam apud scriptores orationis solutae velut Arrianum, Plutarchum legitur. Participium, quo primum Aeschylus (Choeph. 669) usus est, postea crebro usurpatur.

ἐπικλύειν audire.

Ichn. 39—40 (II 12—13) [ὦ Φοῖβε,] σοῦ φωνήμα<θ'> ὡς ἐπέκλυον | [βοῶ]ντος ὀρθίοισι σὺν κηρύγμασ[ι,

Vocabulum praecipue epicum, cuius exempla prima Homerus (*Ψ* 652, *ε* 150), alia aetate multo recentiore Apollonius Rhodius (1,1240, 3,598), Quintus Smyrnaeus (13,34) praebent, in sermone tragico hoc loco primum repertum est.

ἐπίκυρτος incurvus.

Ichn. 294 (XII 5) *ποῖός τις ἦν εἶδος; πρ[ο]μήκης, ἢ 'πίκυρτος ἢ βραχύς;*

Vocabulo usu sat raro, cuius hoc testimonium est veterrimum, postea et Plutarchus (Mor. 53 C) et posteriores velut Nonnus (Io. 6,71, Dion. 38,247), Eustathius usi sunt. — Vocabulum simplex *κυρτός* iam apud Homerum (*B* 218, *Δ* 426, *N* 799) occurrit itemque verbum *κυρτοῦν* (*λ* 244). Verbum *ἐπικυρτοῦν*, quo Hesiodus (Sc. 234) usus est, verisimile est a *κυρτοῦν* derivatum esse, non ab *ἐπίκυρτος*, etsi facile conici possit, ne hoc quidem vocabulum a Sophocle, qui nobis exemplum eius veterrimum tradidit, effictum esse.

ἐπισεύειν concitare, impellere, (pass.) accurrere.

Ichn. 21 (I 21) *[τ]ὰ Θεσσαλῶν [τ' ἔγκαρπα πεδί' ἐ]πεσσύθ[ην* — 42—43 (II 15—16) *[σ]οί, Φοῖβ' Ἄπολλον, προσφιλὴς εὐε[ργέτης] | θέλων γενέσθαι τῶδ' ἐπεσσύθην δρ[ό]μ[ω,*

Vocabulum epicum, quod in carminibus Homericis saepe occurrit, Aeschylo (Eum. 786, 816) et Euripide (Phoen. 1065, Hel. 1162) testibus etiam sermoni tragico familiare est. Postea semel apud Aristophanem (fr. 698 Kock) occurrit, saepius a poetis epicis recentioribus velut ab Apollonio Rhodio et Oppiano et poetis lyricis velut a Theodorida (Anth. Pal. VII 439,3) usurpatum est.

⟨**ἐπίσιμος** simus, resimus.

Ichn. 102 (IV 23) *καὶ τοὐπίσημον αὐτὸ τῶν ὁπλῶν πάλι[ν.*

In margine varia annotata est lectio: *ἐπισίμωμ*^{o}*ν*$^{\iota}$ i. e. *ἐπίσιμ<ον?> μό(νος) Νί(κανδρος?)*, quam lectionem non est, cur voci, quae in textu est, *ἐπίσημον* praeferamus, cum illam lectionem errore librarii ortam esse probabile videatur. De vestigiis ungularum bovinarum potius quam de cursu deflecto boum chorum locutum esse

lectori elucet, etiamsi id maioris momenti non ducat admodum incertum esse, quamnam vim vocabulum *ἐπίσιμον* hoc loco habeat. *ἐπίσιμος* enim non nisi in syngraphis papyraceis occurrit (Boeckh, Kl. Schr. V p. 209).

(*ἐπισχολάζεσθαι* morari.
Ichn. 275—276 (XI 12—13) *κἀξορμενίζει κοὐκέτι σχολάζεται* | *βλάστη*·

Coniecturam Meinekii, qui in hoc versu Ichneutarum iam dudum cognito (fr. 294 Nauck) pro *ἐπισχολάζεται* legendum esse *ἔτι σχολάζεται* opinatus est, papyrus nostra optime confirmat; qua de causa *ἐπισχολάζεσθαι* verbum ni fallor *ἅπαξ εἰρημένον* e lexico Sophocleo exstinguendum est. Vide *σχολάζεσθαι*.)

ἔποχος vector, (eques).
Ichn. 181 (VII 23) *ἔποχον ἔχει τι*[. . .

Exempla veterrima in sermone tragico inveniuntur, apud Aeschylum (Pers. 45, 54), apud Euripidem (Hipp. 214) et nunc etiam apud Sophoclem. Apud scriptores orationis solutae aetatis Atticae et Hellenisticae Romanaeque, velut apud Xenophontem, Polybium, Plutarchum, Synesium plerumque equitem significat.

ἐρείδειν trudere.
Ichn. 273—274 (XI 10—11) [*οὔπω γ*]*ὰρ ἕκτον ἦμαρ ἐκπεφασμέν*[*ο*]*ς* | [*γυίοι*]*ς ἐρείδει παιδὸς εἰς ἥβης ἀκμήν*,
— 309 (XII 20) [*ἐνήλατα ξύλ᾽ ὡς τρίγομφα διατ*]*όρως ἐρείδεται*.

Vocabulum, ni fallor, cotidianum, cuius prima in carminibus Homericis exempla occurrunt, usque ad aetatem Romanam a scriptoribus usurpatum est, neque quidem solum a poetis sed etiam a scriptoribus orationis pedestris.

εὐδία coeli serenitas, tranquillitas, animi benignitas.
Ichn. 346 (XIV 4) [*σὺ δ᾽ οὖν τὸ λοιπὸ*]*ν εἰς ἔμ᾽ εὐδίαν ἔχων*.

Vim illam primariam apud Hippocratem aliosque scriptores

orationis solutae aetatis Atticae et apud poetas, velut Sophronem (fr. 108 Kaibel) et Herondam (1,28) prae se fert. Significatione aliquantum tralata in exemplis veterrimis, quae apud Pindarum (Ol. 1,158, Pyth. 5,12, Isthm. 7,53, Oxyrh. Pap. V 841 [Paean II 52]) et Aeschylum (Sept. 795) locoque nostro Sophocleo legitur; eadem significatio etiam apud scriptores pedestres et aetatis Atticae et posterioris huic vocabulo est subiecta.

εὐιάζειν euoe clamare, bacchari.

Ichn. 220—221 (IX 11—12) χερ[ο]ῖν τε θύρσ[ο]ν εὐπαλῆ φέρων | ὄπισθεν εὐιάζετ' ἀμφὶ τὸν θεόν

Veterrimum est exemplum formae vocabuli, qua etiam Euripides in fabula satyrica (Cycl. 495) usus est. In tragoediis Sophoclea (Ant. 1135) et Euripidea (Bacch. 67, 1034) vocabulum multo usitatius εὐάζειν (εὐάζεσθαι) occurrit, quo posteriore aetate et poetae et scriptores sermonis pedestris velut Meleager (Anth. Pal. IX 363,11) Nonnus, Diodorus Siculus usi sunt.

εὐπαλής facilis, levis.

Ichn. 220 (IV 11) χερ[ο]ῖν τε θύρσ[ο]ν εὐπαλῆ φέρων

Vocabulum poeticum, cuius exempla multo recentiora apud Apollonium Rhodium (2,518) et Pollucem (5,83, 9,162) exstant. — Adverbio εὐπαλέως solus Apollonius Rhodius (4,193) usus esse videtur.

ἐχῖνος echinus, erinaceus.

Ichn. 121 (V 16) [ἐ]χῖνος ὥς τ[ι]ς ἐν λόχμῃ κεῖσαι πεσών,

Hoc vocabulum satis commune, cuius exempla veterrima Archilochus (fr. 118 Bergk) et Epicharmus (fr. 53 Kaibel) praebent, apud posteriores, praecipue apud scriptores orationis pedestris sed etiam apud poetas comicos non solum echinum significat sicut hoc loco Sophocleo, sed varias significationes habet. — Homerus (*B* 625) iam mentionem fecit insularum Echinarum, quod nomen hoc cum vocabulo conferendum esse videtur.

θέσις positio.

Ichn. 277 (XI 14) [δυσεύρε]τός [τ' ἔτ'] ἐστὶ τοῦ πατρὸς θέσει.

Vocabulum commune, quod primum apud Pindarum (Ol. 3,14) occurrit, in primis a scriptoribus orationis solutae usurpatum est.

θέσπις vaticinus, divinus.

Ichn. 243–244 (X 7—8) ἐν [τ]όποις τοῖσ[δε τίς νέρθε γᾶς ὧδ' ἀγα]|στῶς ἐγάρυσε θέσπιν αὐδά[ν;

Vocabulum poeticum, usu sat rarum, plerumque cum vocabulis ἀοιδή et ἀοιδός coniunctum apud Homerum et semel apud Euripidem (Med. 425) occurrit. Posteriore tempore a Nonno est usurpatum. — Vocabula a θέσπις derivata θεσπίζειν, θέσπισμα, quae etiam in fabulis Sophocleis occurrunt, communiora sunt, sed aetate posteriore poetici coloris maximam partem amiserunt.

θήρευμα quod venando capitur, captura, venatus.

Ichn. 285 (XI 22) . . .] θήρευμ[α . . .

Incertum est, utrum re vera θήρευμα hic restituendum sit an alia quaedam forma. Apud Euripidem quidem (Iph. A. 1162) et Platonem (Legg. VII 823 B) θήρευμα occurrit; postea in Test. Vet. LXX et apud scriptores ecclesiasticos in usu erat.

θηρίον fera, bellua.

Ichn. 147 (VI 15) τοιοῦ[δ]ε πατρός, ὦ κάκιστα θηρίων,

Vocabuli huius communis, quod iam apud Homerum (κ 171, 180) occurrit et usque ad aetatem Byzantinam in usu erat, tragici poetae nulla praebent exempla nisi hoc uno loco Sophocles. Commemorandum est Weckleinium pro θηρίων θρέμματα (suboles) coniecisse (Zeitschr. f. bayr. Gymn:wesen 1912). Videre non possum, cur vocabulum in papyro bene servatum mutandum sit, etiamsi hucusque apud tragicos non occurrerit. Sophocles hic θηρίον vocabulo eodem modo ac postea Aristophanes contumeliose usus est. Mirum non est poetam hoc vocabulum adhibuisse, cum Silenum iratum satyros ignavos increpantem spectatoribus ante oculos posuerit.

θύρσος thyrsus.

Ichn. 220 (IX 11) *χερ[ο]ῖν τε θύρσ[ο]ν εὐπαλῆ φέρων*

Veterrimum, quantum scio, hic habemus exemplum vocis creberrime in describendo thiaso Bacchico usitatae, nisi forte comoediam Cratini, quae Dionysalexander inscribitur, Ichneutis antecessisse putaris; ibi enim (fr. 38,2 Kock) idem vocabulum occurrit. Bacchae tragoedia Euripidea certe Ichneutis est posterior.

ἰθυντήριος qui dirigit, gubernat.

Ichn. 73 (III 20) *θεοὶ Τύχη [κ]αὶ δαῖμον ἰθυντήριε,*

In margine lectio varia *ε[ἰθ]τυντήριε* *Ἀρ(ιστοφά)ν(ης)* adscripta est.

ἅπαξ εἰρημένον. Substantivum *ἰθυντήρ* in sermone epico aetatis Hellenisticae occurrit apud Apollonium Rhodium (4,209, 1260) et *ἰθυντήριον* substantivum Hesychius affert *(ὃ φέρουσιν οἱ μάντεις σκῆπτρον ἀπὸ δάφνης).* Formae, quae a diphthongo *εὐ-* incipiunt, *εὐθυντήρ* et *εὐθυντήριος* iam apud scriptores, qui ante Sophoclem floruerunt, illud apud Theognidem (40) et Aeschylum (Suppl. 717), hoc apud Aeschylum (Pers. 764) occurrunt.

?* **ἴτης** temerarius, audax.

Ichn. 176—177 (VII 18—19) *δευτέρῳ τίς ὅδε [τρόπος; ἴ]της | ὁ Δράκις, ὁ Γράπις [. . .*

C. Roberti coniectura, qua lacunam papyri explere conatus est (Hermes 47 p. 548), etsi incertissima est, tamen mihi videtur approbanda esse.

Vocabulum, cuius hoc veterrimum est exemplum, deinde apud Aristophanem (Nub. 445) et apud scriptores orationis solutae aetatis Atticae posteriorisque occurrit velut apud Platonem (Symp. 203 D, Protag. 349 E), Dionem Cassium (LV 18,1).

(**ἰχνεύμων** vestigator, ichneumon.

Ichn. 298 (XII 9) *οὐδ' ὡς ἰχνεύμ<ων> προσφερὲς πέφυκεν οὐδ' ὡς καρκίν<ος>;*

Vide infra quae ad vocabulum *ἰχνευτής* de hac lectione attuli.)

ἰχνευτής indagator, ichneumon.

Ichn. 298 (XII 9) οὐδ' ὡς ἰχνευτῇ προσφερὴς πέφυκεν οὐδ' ὡς καρκίνῳ;

In editione principe Hunt litteras papyri ἰχνευμ[.]νι i. e. ἰχνεύμονι legit et Wilamowitz-Moellendorffii coniecturam approbans in ἰχνεύμων mutavit. Postea inquisitione papyri iterata lectionem ἰχνευτῇ, quam Maas (D. Lit:zeit. 33 p. 2784) proposuit, veram papyri esse Hunt nuper confirmavit (Maas, Berl. phil. Wochenschr. 33 p. 227).

Vocabulo, cuius hoc veterrimum est exemplum, Sophocles et vim indagatoris, ipsius fabulae nomine cum satyros vestigia boum consectantes indicaret, et hoc in versu vim ichneumonis, animalis Aegyptii tribuit. — Hoc vocabulum, cuius et Herodotus exemplum praebet (2,67), postea in primis apud poetas occurrit, ubi vel ichneumonem (Nicander Ther. 195) vel indagatorem (Cercidas Oxyrh. Pap. VIII 1082 fr. 3 II 8 et Marcus Argentarius, Anth. Pal. V 15,6) significat. Aetate Romana ἰχνευτής indagatoris vi usurpatum est a scriptoribus ecclesiasticis, qui etiam ἰχνεύμων vocabulo eandem significationem praebuerunt.

ἰχνοσκοπεῖν alicuius vestigia lustrare.

Ichn. 7—9 (I 7—9) [ἅπα]ντα φρ[οῦδα καὶ μάτη]ν ἰχνοσκοπῶ | [λαθ]ραῖ' ἰόν[τα τῆλε βου]στάθμου κάπης | [ἀφα]νῶς τέχνα[ισιν·

Aeschylus (Choeph. 227) primum huius vocabuli exemplum exhibet, quod post aetatem Sophoclis semel tantum repertum est, apud Plutarchum (Mor. 399 A). — Verbi compositi ἐξιχνοσκοπεῖν duo exempla e fabulis Sophocleis nota sunt (Ai. 997, Tr. 271), aliunde nulla.

(?*κάθαμμα nodus.

Ichn. 313 (XII 24) καθ]αμμάτω[ν

De coniectura Schenklii (Hermes 48 p. 155) incertissima vide quae ad *ἅμμα vocabulum attuli.

Vocabulum κάθαμμα usu rarum apud Euripidem (Hipp. 676) et Zenobium (Proverb. 4,46) occurrit.)

*καθαρμόζειν adaptare, componere.

Ichn. 338 (XIII 22) . . .]ρ̣ καθήρ[μ]ο[σε . . .

Si recte restitutum est, testimonium hucusque cognitis aliquanto vetustius est vocabuli, quo etiam Euripides (Hipp. 771, Bacch. 929), auctor Rhesi (767) et Meleager (Anth. Pal. XII 256,1) usi sunt. — Vocabulum simplex ἁρμόζειν, quo iam Homerus usus est, aetate Attica saepe occurrit, postea usu rarius est.

κάπη praesepium.

Ichn. 7 (I 7) [ἅπα]ντα φρ[οῦδα καὶ μάτη]ν ἰχνοσκοπῶ | [λαθ]ραῖ' ἰόν[τα τῆλε βου]στάθμου κάπης | [ἀφα]νῶς τέχνα[ισιν·

Vocabuli huius forma plurali usus est Homerus (Θ 434, δ 40), quae etiam in versu poetae ignoti, qui in Etym. M. allatus est, occurrit. Singularis vero formae, quam hucusque solus Lycophro (95) exhibuit, hoc loco longe vetustius habemus testimonium.

καρκίνος cancer.

Ichn. 298 (XII 9) οὐδ ὡς ἰχνευτῇ προςφερὲς πέφυκεν οὐδ' ὡς καρκίνῳ;

Vocabuli satis communis sermonisque cotidiani proprii veterrima exempla Epicharmus (fr. 53, 180 Kaibel) praebet, deinde apud scriptores orationis solutae et apud poetas usque ad aetatem Romanam occurrit.

κατακλύειν audire.

Ichn. 224—226 (IX 15—17) κατέκλ[υ]ον | ὁμοῦ πρέπον κέλευμά πως κ[υ]νηγετ[ῶ]ν | ἐγγὺς μολόντων θηρὸς εὐναί[ου] τρο[φ]ῆς,

ἅπαξ εἰρημένον a verbo κλύειν in sermone poetico frequentissimo derivatum. Lectio varia in margine annotata est: -ήλυθ[ε]ν· οὕ(τως) ἦν ἐν τ(ῷ) Θέ(ωνος). Optimo iure Huntius in editionibus lectionem papyri conservavit.

καταρρικνοῦν incurvare.

Ichn. 295 (XII 6) βραχὺς χυτρ<ώ>δης πο[ι]κίλῃ δορᾷ κατερρικνωμένος.

Adhuc apud scriptores tantum aetatis Romanae Byzantinaeque, velut in Vita Maximi Confessoris (vol 1 p. XXV), apud Tzetzem (Exeg. Il. 143,28) [et apud Gregorium Nyssensem (vol. 3 p. 247 C), ubi varia quidem est lectio], et apud lexicographos, Hesychium et Suidam dico, legebatur, quorum hic formam perfecti passivi κατερρικνωμένος (eandem qua Sophocles loco nostro usus est) sic explicat: συνεστραμμένον, καμπύλον γενόμενον, ἐρρυτιδωμένον. — Verbum simplex ῥικνοῦσθαι testibus Photio et Suida primum apud Sophoclem hac in fabula Ichneutarum (fr. 295 Nauck) occurrebat, Huntio autem testimonia ad hunc locum spectare opinato (Oxyrh. Pap. IX p. 81) mihi non videtur esse assentiendum. Deinde eo et scriptores orationis solutae et poetae usi sunt. Adiectivi ῥικνός, unde haec verba derivata sunt, primum praebet exemplum hymnus Homericus in Apollinem (317), deinde crebro in usu est. Verba illa etsi satis raro in libris occurrunt, sermonis cotidiani esse videntur.

κατοιχνεῖν pervadere.

Ichn. 321 (XIII 5) <ἀπρ>οψάλακτός τις ὀμφὰ κατοιχνεῖ τόπον,

ἅπαξ εἰρημένον. — Verbo simplici οἰχνεῖν, quod apud poetas inde a tempore Homeri occurrit, sed non post Euripidem invenitur, etiam Sophocles (Ai. 564, El. 165, 313) usus est. — Vocabulorum compositorum ἐποιχνεῖν et πεδοιχνεῖν, quae apud Bacchylidem occurrunt, hoc ἅπαξ εἰρημένον, illud sermonis poetici et perrarum est.

κλέμμα furtum.

Ichn. 66—67 (III 13—14) πῶς πᾷ τὰ λάθρι[α νύχια] | κλέμματα ποσσὶ[. . .

Testimonium hoc est vocabuli aliquanto vetustius exemplis adhuc cognitis, quae Euripides (Hec. 618) et Thucydides (V 9,5) praebent. Saeculo quarto Plato, Aristoteles, Demosthenes, Aeschines eo usi sunt, post aetatem Atticam rarius occurrit, sed usque ad aetatem Romanam apud scriptores, velut apud Hermam (Mand. 8,5), et in inscriptionibus exempla exstant.

κλώψ fur.

Ichn. 62 (III 9) ἔπιθι κλωπ[. . .

Papyro mutilata certo diiudicari non potest, utrum hoc loco re vera poeta noster vocabulo κλώψ usus sit an alio vocabulo ex eadem radice oriundo.

Vocabulum κλώψ, cuius exempla nostro paene contemporanea Herodotus (1,41 et alibi) et Euripides (Hel. 555) auctorque Rhesi (645, 709) praebent, postea aetate Attica, Hellenistica, Romana et in sermone pedestri et apud poetas occurrit.

κνηκός flavus.

Ichn. 357—358 (XIV 15—16) νέος γὰρ ὢν ἀνὴρ | π[ώγ]ωνι θάλλων ὡς τράγος κν<η>κῷ χλιδᾷς.

Adiectivum, cuius hoc exemplum sane veterrimum est, non nisi apud poetas occurrit, velut apud Theocritum (7,16), Cercidam (Oxyrh. Pap. VIII 1082 fr. 3 II 11), Babrium (113,2), Agathiam Scholasticum (Anth. Pal. VI 32,4). Substantivum, accento mutato κνῆκος, in primis apud scriptores historiam naturae tractantes, velut Aristotelem (H. a. V 19, 550 B 27), Theophrastum (H. pl. 6,45 et pluries), Dioscuridem alios occurrit, sed etiam alibi invenitur (Grenfell, Revenue Laws).

κόλαξ adulator, parasitus.

Ichn. 153—154 (VI 21—24) [ἄ] νῦν ὑφ' ὑμῶν λάμ[πρ' ὑ]πορρυπαίνεται | [ψ]όφῳ νεώρει κόλακ[ι] ποιμένων π[ο]θέν,

Exemplum veterrimum hucusque cognitum Eupolidis fabula Κόλακες inscripta praebet (fr. 159,1, 13 Kock), postea communis est usus usque ad aetatem Byzantinam. — In versibus Ichneutarum 153—154 tam insolite usurpatum est, ut suspicari liceat lectionem papyri corruptam esse, etsi quomodo sananda sit non dicere possum. Adiectivi enim loco hic usurpatum est, qualem vim rarissime prae se fert, et quidem aetate Byzantina apud Procopium (De aed. I1,72), ubi allectantem vel aliquid simile significare videtur. Opinio, quam Hunt glossa quadam Moeridis (p. 113: γόης Ἀττικοί, κόλαξ Ἕλληνες) allata dubitanter protulit (Oxyrh. Pap. IX p. 75), vocabulo κόλαξ hoc loco vim vocis γόης esse subiectam, mihi quidem non vi-

detur esse probanda. *γόης* enim primitus lamentatorem et similia significasse videtur (Aeschylus Choeph. 822, ubi tamen lectionem non prorsus sanam viri docti vario modo emendare et explicare conati sunt), deinde autem magum et fraudulentum significat, quae quidem significationes *κόλακι* hoc loco certe non conveniunt.

**κόλλοψ* verticilla, citharae epitonium.
Ichn. 312 (XII 23) . . . *κόλ]λοπες δε[*

Coniecturae Huntii satis probabili assensus Schenkl (Hermes 48 p. 153) e versibus mutilis elucere monet Sophoclem hoc loco lyrae constructionem minutatim enarrasse. — Significationem epitonii citharae hoc vocabulum iam apud Homerum prae se fert (*φ* 407). Apud poetas comicos et apud scriptores sermonis pedestris aetatis Atticae variae ei subiectae sunt significationes.

κραιπνός velox, celer.
Ichn. 212—213 (IX 3—4) *κτύ[π]ον πέδορτον ἐξαναγκάσω* | *π[η]δήμασιν κραιπνοῖσι καὶ λακτίσμασιν*

Vocabulo hocce poetico, cuius Homerus permulta praebet exempla, etiam Pindarus (Pyth. 4,161), Aeschylus (Pers. 95), poetae alii usi sunt.

?**Κρεκίας* vide **Κροκίας*.

?**Κροκίας*
Ichn. 186 (VIII 2) *μὴ μεθῇ κρ[ο]κι.[*

Coniectura Roberti, qui hic nomen Satyri fuisse scriptum opinatus est (vide *Γράπις*), incerta quidem est, sed a Satyro nomen crocei vel flavi sane non abhorret. Adiectivum *κροκίας* apud Plutarchum (Mor. 375 E) et Plinium (XXXVII 11,73) occurrit. Nomina propria ex eadem radice derivata apud Graecos in usu fuerunt, velut *Κροκίνας*, *Κροκίων*, *Κρόκων* similiaque. — At alio quoque modo lacuna expleri potest. Satyro enim nomen fuisse *Κρεκίας* vel simile quid conicere licet. Stirpes *κρεκ-* et *κερκ-* cum inter se alternari constet, hoc nomen cum nominibus Cercobolus (*Κερκόβολος*) et Cerconicus (*Κερκύνικος*), quae Plautus (Trinummus 1020) offert, et *Κερκούριον* nomine

meretricis a Rufino in Anthologia Palatina (5,43) adhibito, ni fallor, comparari potest. *Κρεκίας (Κερκίας)* optime naturae Satyrorum adaptatum esse etiam e nomine *Οὐρίας* apparet, quo Sophocles in eodem sermone Sileni usus est.

κύβδα inclinato capite, pronus.

Ichn. 122 (V 17) [ἤ] *τις πίθη[κο]ς κύβδ' ἀποθυμαίνεις τινί.*

Vocabuli, quod sermonis cotidiani videtur esse, etsi apud scriptores perraro occurrit, primum praebet exemplum fragmentum Archilochi (32,2 Bergk); postea Aristophanes (Eq. 365, Thesm. 489) et Machon (Athenaeus XII 580 D) eo usi sunt.

κυκησμός perturbatio.

Ichn. 117 (V 12) *δεινὸς κυκησμὸς εἶχ[ε τὸν βοη]λάτην.*

ἅπαξ εἰρημένον. Idem significat ac *κύκημα*, quod Hesychius *τάραχος* vocabulo explicat, et *κύκησις* (Plato, Tim. 68 A). — Verbum satis usitatum *κυκᾶν*, quo iam Homerus usus est, etiam apud Sophoclem (El. 733) occurrit.

κυνηγεῖν vide **κυνηγέσσειν**.

κυνηγέσσειν venari.

Ichn. 44 (II 17) *ἄν πως τὸ χρῆμα τοῦτό σοι κυνηγ[έ]σω.*

ἅπαξ εἰρημένον. In commentario editioni principi adiuncto Hunt monet aoristi formas verborum *κυνηγεῖν* et *ἐκκυνηγεῖν* (Ichn. 75) brevi vocali *ε* formari notatu dignum esse. Mirum sane esset, si ita se res haberet. Sed eodem fere tempore viri doctissimi Paulus Maas (Berl. phil. Wochenschr. 32 p. 1075) et J. M. Stahl (Rhein. Museum 68 p. 307) in memoriam revocaverunt Theognostum (Cramer, Anecd. Ox. II 143) docuisse: *τὰ διὰ τοῦ εσσω ῥήματα . . . διὰ τοῦ ε ψιλοῦ γράφονται, οἷον πυρέσσω ἐρέσσω ἀηθέσσω κυνηγέσσω*, Phrynichumque in Praep. Soph. 84,1 haec habere: *κυνηγέττειν· διὰ δύο ττ λέγουσιν* (Bekker, Anecd. 48,30); iidem monuerunt *κυνηγέσσω* e *κυνηγέτης* eodem modo atque *ἐρέσσω* ex *ἐρέτης* formatum esse et aoristi formas eodem modo derivari. Non est cur dubitemus, quin Sophocles verbis *κυνηγέσσειν* et *ἐκκυνηγέσσειν* usus sit; suspicandum

enim non est grammaticos verbum *κυνηγέσσω* finxisse, cum verba, quibus hoc comparaverunt, apud scriptores occurrant, etsi *ἐρέσσω* solum usu communius est. — Exemplum nunc habemus verbi, quod Lobeck (Paralip. p. 438) reiecit nullo exstante exemplo nisi apud grammaticos. — Verbum *κυνηγεῖν*, unde Hunt putat formam *κυνηγέσω* derivatam esse, primum apud Aristotelem (H. a. IX 32, 619 A 3) occurrit, deinde aetate Hellenistica Romanaque usitatum est. — *κυνηγέσσειν* ab usu remotum esse videtur, cum *κυνηγετεῖν* magis ad normam formatum esse videretur.

κυνηγέτης venator.

Ichn. 224—225 (IX 15—16) *κατέκλ[υ]ον | ὁμοῦ πρέπον κέλευμά πως κ[υ]νηγετ[ῶ]ν.*

Vocabulum commune iam ab Homero (*α* 120) adhibitum.

κυνορτικός canes incitans.

Ichn. 166—167 (VII 8—9) *ἐγὼ πα[ρ]ὼν αὐτός σε προσβιβῶ λόγῳ | κυνορτικὸν σύριγμα διακαλούμεν[ος.*

ἅπαξ εἰρημένον. Notandum est Sophoclem hic vocabulo in *-κος* syllabam exeunte usum esse, quae vocabula aetate Sophoclea satis rara fuisse Peppler (Am. Journal of Phil. 31 p. 428—444) ostendit. Num huic vocabulo vis aliquae comica insit, quae saepe vocabulis eodem modo ab Aristophane fictis subiecta est, non ausim certo diiudicare.

κωφᾶν exsurdare.

Ichn. 198 (VIII 14) *οὐ[κ ε]ἰσακο[ύε]ις, ἢ κεκώφη[σαι ψόφον;*

Exemplum veterrimum hic habemus vocabuli antea non nisi apud scriptores multo recentiores reperti velut apud Clearchum (FHG. 305), Oppianum (Cyn. 3,286), Philonem. — Vocabulum *κωφός* inde ab Homeri tempore in communi usu erat, sed verba ab eo derivata *κωφᾶν* et *κωφεῖν* et *κωφοῦν* usu satis rara sunt.

* *λάθριος* clandestinus, occultus.

Ichn. 66 (III 13) *πῶς πᾷ τὰ λάθρι[α νύχια] | κλέμματα ποσσὶ [*

Si recte, ut videtur, lacuna est expleta, hoc loco veterrimum

habemus exemplum vocabuli λάθριος apud comoediae Atticae scriptores (Plato Adonis fr. 3,4 Kock) et deinde aetate Hellenistica et Romana in primis apud poetas, velut apud Callimachum (H. in Ap. 105), sed etiam apud scriptores pedestres, velut apud Dionem Cassium (LXXVIII 18,2) usitati. — Sophoclem novimus forma quoque λαθραῖος usum esse (Trach. 377, 914, El. 1440), quae etiam apud Aeschylum et Euripidem aliosque scriptores quinti et quarti saeculi posterioresque occurrit.

λάκτισμα calcitratus.

Ichn. 212—213 (IX 3—4) κτύ[π]ον πέδορτον ἐξαναγκάσω | π[η]δήμασιν κραιπνοῖσι καὶ λακτίσμασιν

Aeschylus (Ag. 1601) primus hoc vocabulum praebet, cuius postea satis rara exempla apud scriptores aetatis Hellenisticae et Romanae occurrunt velut apud Diodorum Siculum (IV 59,4), Lycophronem (835).

?*λάλος loquax, garrulus.

Ichn. 129 (V 24) [τί] σιγᾶθ' οἱ πρ[ὸ τοῦ λαλίστ]ατοι;

Coniectura, qua Wilamowitz-Moellendorff lacunam papyri explere conatus est (Hunt, Oxyrh. Pap. IX p. 73), etsi sententiam optimam efficit, tamen incertissima est.

Vocabulum sermonis cotidiani λάλος, cuius veterrimum praebet exemplum Anacreon (fr. 13,2 Bergk), usque ad aetatem Romanam in usu erat. Superlativi apud Euripidem primum legebatur exemplum. Commemorandum est Sophoclem prima ut videtur exempla vocabulorum λαλεῖν (Phil. 110; lectio varia) et λάλημα (Ant. 320) praebere.

λεῖος levis, glaber.

Ichn. 359 (XIV 17) παύου τὸ λεῖον φαλακρὸν ἡδονῇ πιτνάς.

Vocabulum commune, quod et Homerus et scriptores recentiores usque ad aetatem Romanam et in sermone pedestri et in poetico usurpant.

λικνῖτις ad cribrum vel cunabulum pertinens.

Ichn. 269—270 (XI 6—7) λικνῖτιν τροφὴν | [ἐξευθ]ετίζω νύκτα καὶ καθ' ἡμέραν.

ἅπαξ εἰρημένον. Vocabuli λίκνον, unde λικνῖτις derivatum est, significatio principalis, ut videtur, cratis illius erat, qua frumentum ventilabatur, i. e. ventilabri, vanni. Idem instrumentum rusticum a Graecis cunabuli loco usurpatum esse Jane E. Harrison, virgo doctissima, exemplis e vasculis pictis et imaginibus, ut dicunt, ectypis sumptis demonstravit (Journ. of Hell. Stud. 23 p. 294—296). In Hymnis Orphicis Bacchus Λικνίτης appellatur (46,1, 52,3), quod optime cum imaginibus in vasculis pictis congruit, ubi Bacchus infans in cunabulo, quod vanno e viminibus texto vel corbi simile est, depictus est. Aliis autem in vasculis videmus in simili cunabulo sedentem Mercurium infantem, qui boves raptos circum se habet (Journ. of Hell. Stud. 23 p. 294 fig. 1); quid quod λίκνον etiam in hymno Homerico in Mercurium cunabuli loco occurrit (vv. 150—154)? Adiectivum λικνῖτις paene eandem significationem ac λικνίτης prae se fert.

*λοπάς testa, patina.

Ichn. 303 (XII 14) [κάτωθεν ἠχεῖ] λο[πὰς] ὀρεινὴ σύγγονος τῶν ὀστρέων.

Coniectura est Vollgraffii (Mnemosyne NS. 42 p. 174), qui versum restitutum sic vertit: „ab inferiore parte resonat montana patina ostreis cognata". Incerta sane est emendatio, sed λοπάς magnopere placet. At opinari licet λοπάδα hoc loco non patinam sed testam significare, quod non solum hanc significationem vocabuli λοπάς primigeniam esse e vocabulis aliis a stirpe λεπ-, λοπ- derivatis, sed etiam e conchae significatione hic illic vocabulo λοπάς subiecta elucere videtur. Neque obliviscendum est λοπὰς ὀρεινὴ σύγγονος τῶν ὀστρέων potius de testa quam de patina dici.

Si recte coniecit Vollgraff, vocabuli exemplum primum hoc loco habemus, cuius complura exempla, quibus vis patinae subiecta est, apud scriptores comicos exstant, nonnulla etiam apud

scriptores orationis pedestris velut aetate Attica apud Aristotelem (H. a. IX 40,627 B 6), aetate Romana apud Plutarchum (Mor. 125 F). Conchae marinae et ostreae significationem apud Theophrastum (H. pl. IV 6,7) et Lucianum (Asin. 47) prae se fert.

λόχμη insidiae, locus insidiis aptus, dumetum.

Ichn. 121 (V 15) [ἐ]χῖνος ὥς τ[ι]ς ἐν λόχμῃ κεῖσαι πεσών,

Vocabulum commune, quo inde a tempore Homeri usque ad aetatem Romanam scriptores et sermonis poetici et pedestris usi sunt.

μάλθη cera emollita.

Ichn. 140 (VI 8) μάλθης ἄναγνα σώ[μα]τ' ἐκμεμαγμένα.

In exemplis plurimis, quorum veterrima Hipponax (fr. 50 Bergk) et deinde Cratinus (Pytine fr. 204 Kock) praebent, ceram, qua tabellae scriptoriae illinebantur, significat. Hoc autem Ichneutarum loco significationem primaevam cerae emollitae praebet, sicut etiam Hesychius nullo scriptorum testimonio allato μάλθα μεμαλαγμένος κηρός explicat.

?**μαριλοκαύτης* carbonarius.

Ichn. 33—34 (II 6—7) [ὡς εἴτε ποι]μὴν εἴτ' ἀγρώστη[ς ἤ τις ὤν] | [μαριλοκαυ]τῶν ἐν λόγῳ παρ[ίσταται.

Coniectura, quam Wilamowitz-Moellendorff fragmento Sophocleo (fr. 964 Nauck) nisus proposuit, reliquiis in papyro tam exiguis exstantibus incertissima est, etsi non improbabilis, cum sententiam bonam efficiat. Vocabulum μαριλοκαύτης inter ἅπαξ εἰρημένα numerandum esse videtur, cum hucusque non nisi locis lexicographorum duobus occurrat, apud Hesychium dico (μαριλοκαυτῶν· ἀνθρακευτῶν), ubi nullum scriptoris exemplum allatum est, et in loco corrupto Photii (Lex. 247,17 μαρίλη· ἡ μεμαρασμένη ὕλη, καὶ τοὺς ἀνθρακευτάς. Σοφοκλῆς), ubi, cum e fabula quadam Sophoclea vocabulum, quod idem ac ἀνθρακευτάς significaverit, allatum sit, Naber μαριλοκαύτας supplevit, quo factum est, ut inter fragmenta Sophoclea etiam μαριλοκαύτης receptum sit.

**Μεθύων* vel **Μέθυσος.*

Ichn. 179 (VII 21) παρέβης· μεθύ[ων vel μέθυ[σος

Coniectura Roberti, qui hoc nomen Satyri esse putavit (vide *Γράπις*), incerta est, sed Satyro huiusmodi nomen optime convenire confitendum est. Nomina eiusdem generis *Μέθυλλος* (in inscriptionibus) et *Μέθων* (Plutarchus, Mor. 293 B) cognita sunt. Vocabula *μεθύων* et *μέθυσος*, quae ebrium significant, iam aetate Attica in usu fuerunt (huius quidem feminina forma), deinde usque ad aetatem Romanam apud scriptores occurrunt.

μήνυτρον indicii praemium, indicium.

Ichn. 81 (IV 1) *μήνυ[τρα . . .*

Si recte Hunt lacunam supplevit, quod versibus, qui praecedunt, confirmari videtur, Sophocles hic vocabulo usus est, quod primum in hymno Homerico in Mercurium (vv. 264, 364) legitur. Apud poetas comicos occurrit, velut apud Phrynichum (fr. 85,5 Kock), sed plurima exempla scriptores pedestres aetatis Atticae praebent, post Thucydidem (VI 27,2) in primis oratores in iudicio dicentes velut Lysias (6,43), Andocides (1,27,40). Etiam aetate Romana occurrit, velut apud Plutarchum (Mor. 421 A). Vocabulum sermonis cotidiani est.

μήτρως avunculus maternus.

Ichn. 352 (XIV 10) *[οὔτ' αὖτις ἐν μ]ήτρωσιν ἡ κλοπὴ κρατεῖ.*

Vocabulum, quod iam in carminibus Homeri occurrit, postea in primis in sermone poetico usurpatur, ut testantur Pindarus, Bacchylides, Euripides et nunc quidem Sophocles. In oratione soluta eo usus est Herodotus (4,80). Quarto iam saeculo, ut videtur, obsoletum est.

**μόσχος* vitulus, iuvencus.

Ichn. 5—6 (I 5—6) *βο]ῦς ἀμολγάδας | [μόσ]χους [τε καὶ νεανίευμ]α πορτίδων.*

Verisimillimum est lacunam recte expletam esse. Verbum hoc commune sed vi quadam poetica imbutum inde a tempore Homeri usque ad aetatem Romanam in usu erat.

?* *νεανίευμα* grex iuvenilis.

Ichn. 5—6 (I 5—6) [*βο*]*ῦς ἀμολγάδας* | [*μόσ*]*χους* [*τε καὶ νεανίευμ*]*α πορτίδων.*

Ad lacunam explendam Wilamowitz-Moellendorff sive *νεανίευμ*]*α* sive *νέων νόμευμ*]*α*, Murray *γένη νεογν*]*ά* scribendum esse coniecit (Hunt, Oxyrh. Pap. IX p. 68). Hunt in textum *νέων νόμευμα* recepit, etsi *νεανίευμα* spatio aptius esse dixit; *γένη νεογνά* autem sententiae non convenire monuit. Has inter incertissimas coniecturas mihi quidem aliis magis *νεανίευμα* spatio bene adaptatum placet, quamquam hoc loco significationem inusitatam praebet, cum non iuvenilis et audacis facinoris vim prae se ferat sed sensum propius ad *νεανίας* et *νεανιεύεσθαι* accedentem iuvenilis gregis habeat. — Vocabulum *νεανίευμα* post Sophoclem primum apud Platonem (Resp. III 390 A), deinde apud scriptores aetatis Romanae, velut apud Lucianum (Hermot. 33), occurrit.

νέβρινος ex hinnuli pelle factus.

Ichn. 219—220 (IX 10—11) *ὑμῖν ὃς αἰεὶ νεβρίνῃ καθημμέν*[*ο*]*ς* | *δορᾷ*

ἅπαξ εἰρημένον. Vocabulum poeticum *νεβρίς*, quo eodem fere tempore Euripides (Bacch. pluries, Phoen. 791) usus est, postea quoque apud poetas occurrit; etiam *νεβρός*, cuius iam Homerus exemplum praebet, praecipue apud poetas in usu est, quamquam Herodotus (7,75) Xenophon (Cyn. 9,3, 8), Aristoteles (pluries), alii eo usi sunt.

?* *νεογνός* vide * *νεανίευμα.*

?* *νόμευμα* vide * *νεανίευμα.*

νυμφογέννητος e nympha natus.

Ichn. 35—36 (II 8—9) [*ἢ τῶν ὀρ*]*είων νυμφογεννή*[*του γένους*] | [*θηρῶ*]*ν τίς ἐστι.*

ἅπαξ εἰρημένον. Nihil interest, utrum lacunam ita expleamus, ut fiat *νυμφογεννή*[*του γένους*], sicut Hunt scribit (Oxyrh. Pap. IX p. 69), an coniecturam Roberti (Hermes 47 p. 541) *νυμφογεννή*[*των παρῶν*] approbemus an Bucherero, qui (Berl. philol. Wo-

chenschr. 33 p. 580) *νυμφογεννή[των φίλων]* scribendum esse coniecit, assentiamur, cum forma aliqua vocabuli *νυμφογέννητος* utique restituenda sit. Vocabula composita, quorum pars posterior *-γέννητος* est, aetate classica sat rara sunt. Vocabulum *ἀγέννητος* primum apud Theognidem (491) occurrit, deinde a Sophocle (OC. 973, Tr. 61 [in fr. 776 Nauck dubium est utrum *ἀγένητα* an *ἀγέννητα* legendum sit]), postea ab Isocrate aliisque usurpatum est; *αὐτογέννητος* apud Sophoclem (Ant. 864) primum occurrit. Aetate Romana Byzantinaque vocabula in *-γέννητος* exeuntia saepius occurrunt, praecipue apud scriptores ecclesiasticos (praeter illa iam antea commemorata *ἀγέννητος* et *αὐτογέννητος* etiam *θεογέννητος, προσγέννητος, πρωτογέννητος, συναγέννητος*). Alia sunt *νοθογέννητος, πορνογέννητος*. Notissimum autem est illud *πορφυρογέννητος*, quod aetate Byzantina imperatoris filium patre regnante natum significat. — Posterior pars vocabuli sola, *γεννητός*, aetate Attica primum apud Platonem occurrit, deinde et hac aetate et temporibus recentioribus in usu fuit apud scriptores orationis pedestris. — Eandem vim *νυμφογέννητος* habet ac *νυμφογενής*, quod apud Alcaeum Messenium (Anth. Plan. 8,4) et in libello, qui Aristotelis dicitur, „De mirabilibus auscultationibus" (133, 843 B 31; epigramma) occurrit, et *νυμφαγενής*, quo Telestes (fr. 1,5 Bergk) et Euphorio (fr. 128 in scholio Vatic. ad v. 36 Rhesi) usi sunt.

οἶμος via, semita.

Ichn. 168 (VII 10) *ἀλλ' εἶ' [ἐ]φίστω τριζύγης οἶμον βάσιν,*

Vocabulum poeticum, cuius prima exempla apud Homerum, (*Λ* 24, ubi fasciam vel limitem significat, qualibus thorax est ornatus) et in Hymno in Mercurium (451, ubi libri, Mosquensi excepto, *οἶμος ἀοιδῆς* habent) invenies. In usu fuit apud poetas usque ad aetatem Hellenisticam et Romanam velut apud Callimachum (H. in Iov. 78), Lycophronem (889). In oratione soluta sat rarum est, a Platone (Resp. IV 420 B) tamen usurpatur.

ὁπλή ungula.

Ichn. 102 (IV 23) *καὶ τοὐπίσημον αὐτὸ τῶν ὁπλῶν πάλιν.*

Vocabulum commune, quod apud scriptores inde ab Homero usque ad aetatem Romanam occurrit.

ὀ π π ο π ο ῖ

Ichn. 191 (VIII 7) *ὀπποποῖ· ἆ μιαρέ, γε[*

ἅπαξ εἰρημένον. Haec interiectio, qua vel stupor vel offensio sive ira exprimitur, eodem fere modo formata est ac *πόποι, ὢ πόποι* et similia communiora.

ὀ ρ ε ί τ ρ ο φ ο ς in monte nutritus vel educatus.

Ichn. 151—152 (VI 19—20 *οὐδὲ ψόφοισι τῶν ὀρειτρόφων βο-τῶν* | *[π]τήσσοντος,*

Vocabuli, cuius exemplum unicum hucusque cognitum scholiasta, qui dicitur, Lycophronis (675) praebuit, nunc multo vetustius exemplum et ex aetate quidem optima habemus. Forma *ὀρίτροφος* aetate Romana, velut apud Oppianum (Hal. 1,12), Nonnum (Dion. 5,224), Babrium (106,3), occurrit. Eiusdem generis sunt *ὀρεσίτροφος*, cuius exempla apud Homerum (*M* 299) et in Hymno auctoris incogniti in Bacchum (Anth. Pal. IX 524,25, ubi tamen lectionem incertam Stadtmüller in *ὠρείτροφος* mutavit) exstant, et *ὀρειτρεφής*, quo Lucianus (Alex. 48) et Tryphiodorus (193) usi sunt, et *ὀριτρεφής*, quod Apollonius Rhodius (2,34) praebet, omnia usu perrara.

ὀ ρ θ ο ψ ά λ α κ τ ο ς

Ichn. 248—249 (X 12—13) *ἐμοὶ γὰ[ρ οὔ]κ [ἀρεστόν ἐστ' ἔριν]* | *ὀρθοψάλακτον ἐν [λ]όγο[ισ]ιν [ἱστάναι.*

(? — 321 (XIII 5) *ὀ<ρθο>ψάλακτός τις ὀμφὰ κατοιχνεῖ τόπον*, vide *ἀπροψάλακτος*).

ἅπαξ εἰρημένον. Quid vocabulum *ὀρθοψάλακτος* significaverit, versibus tam mutilatis e nexu sententiarum concludi non potest. Coniecturae enim quibus in primis Murray lacunas explere conatus est (Hunt, Oxyrh. Pap. IX p. 79), incertissimae sunt, etsi sententiam bonam efficiant. — Directe tactum vel contrectatum significare potest, quod sane satis obscurum esse videatur; potius sensus, quem Hunt in versione anglica vocabulo shrill i. e. acute sonans protulit, admitti potest, si vocabulum *ψαλάσσειν* idem fere ac *ψάλλειν* significare potuisse coniciamus.

ὄ σ τ ρ α κ ο ν vide *ὄ σ τ ρ ε ο ν*.

*ὄστρεον ostrea.

Ichn. 303 (XII 14) [κάτωθεν ἠχεῖ] λο[πὰς] ὀρεινὴ σύγγονος τῶν ὀστρέων.

In papyro manu 1 συγγονος τωστρακρεων scriptum est, cui in margine manu 2 lectio varia συγγονους οστρα[ex exemplari Theonis addita est.

Cum difficile sit textum manifeste corruptum ope variae lectionis mutilatae restituere, mirum non est sententias virorum doctorum discrepare. Hunt enim ὀστρά[κων] ex annotatione in margine adscripta in textum recepit, quam lectionem Wilamowitz-Moellendorff, etsi sententiae sat bene conveniat, reiciendam esse putat, potius ὀστρέων, quod in corruptela τωστρακρεων latere vidit, scribendum esse opinatus (N. Jahrb. XXIX p. 460[1]). Vocabulo ὀστρέων approbato Vollgraff (Mnemosyne NS. 42 p. 174) totum versum restituere conatus sententiam, ut mihi videtur, satis probabilem effecit: [κάτωθεν ἠχεῖ] λο[πὰς] ὀρεινὴ σύγγονος τῶν ὀστρέων, quae versui praecedenti sat bene respondet. — Scriptores antiquissimos forma longiore, quae est ὄστρειον, usos esse auctor est Athenaeus (III 92 F; cf. etiam Kühner-Blass, Griech. Gramm. I 1³ p. 139; de -ει- et -ε- apud Atticos alternantibus vide, quae Meisterhans-Schwyzer, Gramm. d. att. Inschr.³ p. 40 sqq. attulerunt). Apud scriptores quidem saeculi quinti utraque forma, ὄστρειον et ὄστρεον, occurrit, illa apud Aeschylum (fr. 34 Nauck), Epicharmum (fr. 42,3 Kaibel), Cratinum (fr. 8 Kock), huius veterrimum exemplum hoc loco Sophocleo, si recte haec lectio in textum est recepta. Apud Platonem deinde utrumque occurrere videtur, ὄστρειον in Republica (X 611 D cet.; in libris nonnullis ὄστρεον), ὄστρεον in Phaedro (250 C) et Timaeo (92 B cet.) itemque apud Aristotelem. Aetate Hellenistica et Romana formam longiorem ex usu omnino remotam esse ex eis, quae Athenaeus (III 92) attulit, exemplis apparet.

Οὐρίας caudatus?

Ichn. 178 (VII 20) Οὐρίας, Οὐρίας ἀδ[ικεῖς ἀδι]κεῖς.

ἅπαξ εἰρημένον. Vocabulum, quod vices nominis proprii gerere Robert monuit (Hermes 47 p. 548) (vide Γράπις), Satyro op-

time convenit, etsi quid significet in dubio est. Si enim ab *οὐρά* derivatum est, quod mihi quidem verisimilius videtur, sensum obscoenum ei inesse putaverim, considerato illo Photii loco (Lex. p. 361,16): *οὐράν· αἰδοῖον. Σοφοκλῆς* (fr. 974 Nauck). Sed si *Οὐρίας* cum *οὖρον* vocabulo coniungere malis, hoc quoque modo sensus nominis Satyro aptissimus esse videtur, cum in mentem vasa picta revocemus, in quibus Satyri mingentes aliaque inepta facientes depicti sunt.

παιδιά iocus, ludus.

Ichn. 345 (XIV 3) . . . *ο]ὐδέν, ἀλλὰ παιδιᾶς χάριν.*

Hoc vocabulum, cuius veterrimum Aeschylus (Prom. 316) praebet exemplum, aetate classica et apud scriptores orationis solutae et apud poetas sat frequens est, apud posteriores vero non tam crebro occurrit, etiamsi exempla usque ad aetatem Romanam velut apud Plutarchum, Alciphronem, Eusebium aliosque exstant.

παλινστραφής retro versus.

Ichn. 112 (V 7) *παλινστραφῆ τοι ναὶ μὰ Δία τὰ βήματα.*

ἅπαξ εἰρημένον. Idem ac *παλίνστρεπτος* et *παλίνστροφος* significat, vetustius autem est, cum *παλίνστρεπτος* vel *παλίστρεπτος* primum apud Nicandrum (Ther. 679), *παλίνστροφος* vel *παλίστροφος* primum apud Oppianum (Cyn. 2,99) et in scholio ad Aristophanis Nubes (298), deinde apud scriptores ecclesiasticos occurrat.

πάμφυρτος ex omnibus mixtus.

Ichn. 231—232 (IX 22—23) *καὶ τ[α]ῦτ' ἀφεῖσα σὺν ποδῶν λακ[τίσμασι] | [κ]λῃδῶν ὁμοῦ πάμφυρ[τ'] ἐγειτν[ία στέγῃ.*

Hoc loco exemplum longe veterrimum vocabuli habemus, cuius exempla adhuc, quantum scio, scriptores aetatis Romanae Oppianus (Hal. 1,779), Philo (I 148,40, II 53,47) et auctor ignotus libelli „De sublimitate“, (9,7) praebuerunt.

παραμένειν manere.

Ichn. 169 (VII 11) *ἐγὼ δ' ἐν [ἔ]ργοις παρμένων σ' ἀπευθυνῶ.*

Vocabulum commune, cuius usum inde a temporibus Homericis

usque ad aetatem Romanam exempla permulta et apud scriptores et in inscriptionibus lapidariis occurrentia testantur.

παραπαίειν ictum irritum infligere, perperam psallere, delirare.

Ichn. 234 (IX 25) [φων]ῶν ἀκο[ύ]σασ' ὧδε παραπεπαισμέν[ων

Hoc vocabulum apud Aeschylum, qui prima eius exempla praebet, semel (fr. 314 Nauck: παραπαίων χέλυν) significationem primaevam perperam psallendi prae se fert, semel (Prom. 1056) delirare significat, quae sententia et apud scriptores orationis solutae poetasque posteriores usque ad aetatem Romanam ei subiecta est. Hoc quidem loco Sophocleo ni fallor voces absonas emittere significat.

παραψυκτήριον instrumentum refrigeratorium, levamentum, consolatio.

Ichn. 317—318 (XIII 1—2) καὶ τοῦτο λύπη[ς]· ἔστ' ἄκεστρον καὶ παραψυκ[τ]ήρ[ιο]ν | κείνῳ μόνον,

ἅπαξ εἰρημένον. Eiusdem radicis sunt vocabula παραψυχή (refectio, consolatio), quod primum apud Euripidem (Hec. 280, Or. 62) (fragmentum enim Sophocleum [fr. 1025 Nauck], ubi hoc vocabulum occurrit, spurium esse constat) et deinde usque ad aetatem Romanam, etsi sat raro, occurrit, et παραψύχειν (παραψύχεσθαι), cuius veterrimum Theocritus (13,54) praebet exemplum. Ex Athenaeo (XI 503 C, D) compertum habemus substantivum simplex, quod est ψυκτήριον, iam in Aegimio Hesiodeo (sive Cercopio; fr. 190 [7] Rzach) occurrisse, eidem in Adulescentibus Aeschyleis (ὑποσκίοισιν ἐν ψυκτήριοις, fr. 146 Nauck) significationem loci frigidi et umbrosi fuisse subiectam, quam etiam Nicander Thyatirenus (si locus recte a Kaibelio est emendatus) commemoraverit, Euripidem vero (Phaethon fr. 782 Nauck), si vera est lectio ψυκτήρια δένδρεα, adiectivo ψυκτήριος (refrigerans, umbrosus) usum esse.

πατρικός paternus, patrius.

Ichn. 65 (III 12) πατρικὰν γῆρ[υν . . .

Vocabulo, cuius huic loco Sophocleo paene aequalia exempla

Cratinus (Nem. fr. 116 Kock) et Callias (Ped. fr. 16 Kock) praebent, deinde et Euripides (Ion 1304) et Aristophanes (Av. 142), in primis autem scriptores orationis solutae usi sunt inde ab aetate Attica usque ad aetatem Byzantinam, qua aetate significatione aliquantum mutata a scriptoribus ecclesiasticis usurpatum est.

πέδορτος e solo exortus.

Ichn. 211—213 (IX 2—4) *ἀλλ' ἐγὼ τάχα | φ[έρ]ων κτύ[π]ον πέδορτον ἐξαναγκάσω | πηδήμασιν κραιπνοῖσι*

ἅπαξ εἰρημένον. Sat rara sunt vocabula composita, quorum pars posterior *-ορτος* est, qualia exempli causa afferam *θέορτος* (Pindarus Ol. 2,67, Aeschylus Prom. 765), *νέορτος* (Sophocles OC. 1507, Trach. 894, fr. 788 Nauck), *παλίνορτος* (Aeschylus Ag. 154) et *κονίορτος*, quod usu communius est primumque apud Herodotum (8,65) occurrit.

(Huc non pertinet illud *πέδορτα*, quod Hesychius explicat: *ἡμέρα ἐν ᾗ οὐ γίνεται ἑορτή*, aeolice enim pro *μεθέορτος* dictum est.)

*πέλεθος stercus.

Ichn. 414 (XVI 1), versui, qui ex ipso textu prorsus evanuit, in margine adscriptum *[π]ελέθοις βοῶν[*

Propter mutilationes papyri pro certo non haberi potest Sophoclem vocabulo *πέλεθος* sermonis cotidiani proprio usum esse, cuius exempla hucusque, quantum scio, veterrima apud Aristophanem (Ach. 1170, Eccl. 595) occurrunt.

πίθηκος simia.

Ich. 122 (V 17) *[ἤ] τις πίθη[κο]ς κύβδ' ἀποθυμαίνεις τινί.*

Vocabulum sermonis cotidiani, cuius exempla veterrima apud Archilochum (fr. 89,3, 91 Bergk) occurrunt, post aetatem Sophocleam et a scriptoribus orationis pedestris et a poetis usque ad infimam aetatem Romanam vel proprie de simiis vel contumeliose de hominibus usurpatum est.

πιτνάναι expandere.

Ichn. 359 (XIV 17) παύον τὸ λεῖον φαλακρὸν ἡδονῇ πιτνάς.

Huius verbi sat rari participio Homerus (λ 392) et nostro loco Sophocles, forma quae dicitur finita Satyrus (Anth. Pal. X 6,6) usi sunt. — Alias formas, quae ex eodem verbo derivari solebant, e verbo πιτνᾶν ortas esse viri docti monuerunt (cf. Kühner-Blass, Griech. Gramm. I 2^3 p. 515).

πλάγιος obliquus, fallax.

Ichn. 196 (VIII 12) τ[ὸ] δὲ πλάγιον ἔχομ[εν

Hoc vocabulum commune, cuius prima exempla Pindarus (Isthm. 3,8, Nem. 1,97) praebet, apud scriptores Graecos et sermonis pedestris et poetici usque ad aetatem Romanam Byzantinamque occurrit. Apud Pindarum iam in sensum fallacis est translatum, apud recentiores uterque sensus, et proprius et translatus, apparet. Nostro quidem loco utrum obliquum an fallacem significet, dubium est, cum etiam eorum, qui praecedunt, versuum magna pars desit, ut nexum sententiarum et ipsas sententias difficillimum sit eruere.

?*πλάνη erratio, error.

Ichn. 330 (XIII 14) [τίς ἔχει πλά]νη σε; τίνα κλοπὴν ὠνείδισας;

Hoc vocabulo, cuius prima Aeschylus (Prom. pluries) praebet exempla, deinde et scriptores orationis solutae et poetae praecipue aetatis Atticae sed etiam posteriores usque ad aetatem Romanam usi sunt. Si coniectura editoris locus noster Sophocleus recte est emendatus, quod sane admodum incertum est, etsi sententia bona efficitur, hic vocabulum πλάνη primum vim erroris mentis (non itineris) prae se ferre videtur. — Commemorandum est non certo constare utrum Sophocles OR. 67 πλάναις an πλάνοις scripserit — utrumque enim in libris manuscriptis legitur —, etsi hoc quidem paulo melioribus niti videtur testimoniis.

πνίγειν suffocare, strangulare.

Ichn. 393 (XV 21) *ἤδη με πν[ί]γεις καὶ σὺ χα[ὶ βόες σέθεν.*

Hoc vocabulum sermonis cotidiani, cuius exemplum Sophocleo nostro aliquanto vetustius Epicharmus (fr. 155 Kaibel) praebet, apud scriptores comicos Cratinum (Deliad. fr. 27 Kock), Sophronem (fr. 68, 70, 73 Kaibel), Aristophanem (Nub. 1036, 1376, Vesp. 511) posterioresque, deinde apud scriptores orationis solutae aetatis Atticae, velut apud Herodotum (2,92), Xenophontem (Oec. 17,14), Platonem, aetateque Hellenistica et Romana apud poetas, velut apud Herondam Babriumque, et apud scriptores orationis solutae occurrit. — Apud Herodotum (2,92) primum vim assandi, quae significatio etiam apud Aristophanem (Vesp. 511) et nonnullos scriptores recentiores occurrit, prae se fert.

πόρδαλις pardalis, pardus.

Ichn. 296 (VII 7) *ὡς αἰέλουρος εἰκάσαι πέφυκεν εἴθ' ὡς πόρδαλις;*

Formae huius vocabuli *πόρδαλις* et *πάρδαλις* primitus diversarum dialectorum videntur esse, etsi grammatici Graeci usum earum alius alio modo explicaverint. *πόρδαλις*, quod primum apud Homerum occurrit, forma Aeolica esse videtur, cum in dialecto Aeolica *α* ante vel post *ρ* saepe in *ο* abierit (cfr. Hirt, Handbuch d. griech. Laut- u. Formenl.² p. 46, Thumb, Handbuch d. griech. Dialekte p. 255). Haec forma postea apud poetas epicos velut apud Apollonium Rhodium et Oppianum (Cyn. 3,63, 4,327) occurrit; num Aristophanes ea usus sit, incertum est, cum libri pluries *πάρδαλις*, rarius *πόρδαλις* praebeant (Kühner-Blass, Griech. Gramm. I 1³ p. 639). Aetate Attica *πάρδαλις* apud scriptores orationis solutae, velut apud Xenophontem et Aristotelem, occurrit et deinde aetate Hellenistica et Romana non solum in oratione soluta sed etiam a poetis, velut a Babrio, usurpatum est, unde apparet Photium erravisse, cum dixisset: *πόρδαλις οἱ ἄλλοι Ἕλληνες, πάρδαλις οἱ Ἀττικοί.* — Observandum est Sophoclem *παρδαλήφορον* (fr. 10,2 Nauck) sicut etiam Homerum *παρδαλέῃ* formam adhibuisse, sed non est, cur

analogiae captandae causa *πύρδαλιν* Ichneutarum in *πάρδαλιν* mutemus, cum Sophoclem non Atthide pura usum esse notum sit.

ποτής potio.

Ichn. 268 (XI 5) [*κἄδεσμ*]*α καὶ ποτῆτα καὶ κοιμήματα*

Hoc vocabulum epicum, cuius exempla praecipue Homerus affert, postea raro occurrit, velut apud Philoxenum (fr. 2,38 Bergk) et Anastasium *τὸν τραῦλον* (Ant. Pal. XV 28,7).

πρεπτός excellens, (clara voce sonans?).

Ichn. 322—323 (XIII 6—7) *πρεπτὰ <δ'αὖ> διὰ τόνου φάσματ' ἔγ|χωρ' ἐπανθεμίζει*

Vocabulum usu sat rarum, quod apud Aeschylum (Eum. 914) et Aristophanem (Lys. 1298) occurrit, quam significationem hoc loco prae se ferat, nondum inter viros doctos constat. Hunt enim vocabula *πρεπτὰ φάσματ'* anglice reddit: clear images (Oxyrh. Pap. IX p. 82), Terzaghi italice: mirabili apparizioni; huic assensus Vollgraff (Mnemosyne NS. 42 p. 175—176) perhibet e glossa Hesychii: *πρεπτά· φαντάσματα, εἰκόνες*, quam Wilamowitz-Moellendorff iam in memoriam revocaverat (Hunt, Oxyrh. Pap. IX p. 82), elucere *φαντάσματα* i. e. larvas non solum hoc loco Sophocleo, ad quem Wilamowitz-Moellendorff et Hunt Hesychium spectare putant, sed saepius, cum taetra et abominanda esse crederentur, per euphemismum *πρεπτά* dicta esse, qua de causa versum ita vertit: verendaque (huius loci) simulacra sono concita exoriuntur. Comparatis autem locis Pindareo (Nem. 3,117 *βοὰ . . . πρέπει*) et Aeschyleo Ag. 321 *βοὴν . . . πρέπειν*) Stahl (Rhein. Museum 68 p. 308) vocabulum *πρεπτός* explicat: clara voce sonans et vocabulo *ἔγχωρ'* in *ἔγχορδ'* mutato versum germanice vertit: und vernehmliche Tongebilde schmückt sie auf den Saiten wiederum aus. Hanc explicationem vocabuli *πρεπτός* Münscher quoque probavit (Rhein. Museum 69 p. 185—186), sed monet versum etiam immutatum sententiam satis perspicuam praebere, quam germanice ita reddit: laute Tongebilde blühen am Orte empor. Quae interpretatio, quamvis speciosissimam efficiat sententiam, nihilo mi-

nus nescio an aliquantum a vero declinare putanda sit. Vis enim verbi πρέπειν vera, ni fallor, latine verbis eminere, procedere, excellere reddenda est, quae quidem etiam ex exemplis a Stahlio allatis elucet; vocabula βοὰ πρέπει proprie non clamor sonat, sed clamor extollitur vel ad aures perfertur significant, sicut in Aeschyli Agamemnone (1311) ὅμοιος ἀτμὸς ὥσπερ ἐκ τάφου πρέπει foetor sicut e sepulcro emergit significat, ut exemplum comparandi causa afferam. Quae cum ita sint, Huntii explicatio mihi videtur ad veritatem proxime accedere; Satyri enim sono numquam antea audito perterriti et nunc quidem admiratione pleni umbras loci vel larvas vi sonorum quasi efflorescentes clare cerni dicunt. Venerandas eas esse non e verbis Satyrorum apparet.

?*πρέσβειρα vetula, veneranda.

Ichn. 331 (XIII 15) [*οὐ μὰ Δία σ', ὦ πρέσ]βειρα χειμάζειν* [*θέλω*.

Vocabula uncis inclusa, quae Wilamowitz-Moellendorff coniectura supplevit (Hunt, Oxyrh. Pap. IX p. 83) incerta plane sunt, excepto πρέσβειρα, quod dimidia parte exstante satis certum videtur.

Vocabuli huius poetici, quod primum in hymno Homerico in Venerem (32) legitur, exempla sat rara aetate classica apud Euripidem (Iph. T. 963) et Aristophanem (Lys. 86, Ach. 883) occurrunt; aetate etiam Romana, teste Gregorio Nazianzeno (Anth. Pal. VIII 68,2), non prorsus obsoletum erat.

πρεσβύτης senex.

Ichn. 41 (II 14) [*σ*]*πουδῇ τάδ' ἢ πάρεστι πρεσβύτῃ* [*μαθών*,

Hoc vocabulo, cuius primum exemplum Aeschylus (Eum. 641) praebet, et poetae et scriptores orationis solutae satis crebro usi sunt, velut aetate Attica Cratinus (Leges fr. 126, Pluti fr. 164,4 Kock), Euripides (Andr. 727), Aristophanes (Nub. 358) et Xenophon, Aristoteles, Demosthenes, alii, aetate Romana Alciphro (I 13,4), Babrius, Origenes, ut nonnulla afferam exempla. Apud scriptores recentiores non solum senem sed etiam nuntium significat.

προμήκης oblongus.

Ichn. 294 (XII 5) *ποῖός τις ἦν εἶδος; πρ[ο]μήκης ἢ 'πίκυρτος ἢ βραχύς;*

Vocabulum sermonis, ut videtur, cotidiani, cuius veterrimum hoc loco habemus exemplum. Deinde ab aetate Attica usque ad aetatem Romanam apud scriptores orationis solutae et praecipue quidem eos, qui artes mathematicas tractant, velut primum apud Platonem, occurrit.

προσβιβάζειν admovere, adducere.

Ichn. 166—167 (VII 8—9) *ἐγὼ πα[ρ]ὼν αὐτός σε προσβιβῶ λόγῳ | κυνορτικὸν σύριγμα διακαλούμεν[ος.*

Veterrimum est exemplum vocabuli, quo aetate Attica Aristophanes (Av. 426) et scriptores orationis solutae velut Xenophon et Plato usi sunt. Postea usque ad aetatem Romanam praecipue apud scriptores sermonis pedestris occurrit.

προσγελᾶν arridere.

Ichn. 291 (XII 2) *μὴ νῦν ἀπίστε[ι]· πιστὰ γάρ σε προσγελᾷ θεᾶς ἔπη.*

Exemplum huius verbi veterrimum, quod Aeschylus (Eum. 253) praebet, sententiam exhibet eodem modo translatam ac locus noster Sophocleus. Vim propriam primum apud Herodotum (5,92) et Euripidem (Med. 1041) prae se fert. Postea usque ad aetatem Romanam praecipue apud scriptores orationis pedestris et poetas comicos occurrit.

πρόσπαιος recens, novus.

Ichn. 119—120 (V 14—15) *πρόσπαιον ὧδε κεκλιμ[ένον] κυνηγετεῖν | πρὸς γῇ.*

Vocabulum usu admodum rarum, cuius veterrimum exemplum Aeschylus (Ag. 347) praebet, deinde ab Aristotele (Eth. Nic. IX 5, 1166 B 25) et aetate Hellenistica et Romana aliquanto saepius velut a Nicandro (Ther. 690; lectio varia), Polybio (VI 43,3), Lycophrone (211) usurpatum est. Hoc autem loco Sophocleo vim aliquantum discre-

pantem, ni fallor, prae se fert, cum Silenus de novo i. e. miro indagandi more loquatur.

προστελής tributum pendens, studiosus.

Ichn. 78—79 (III 25—26) *ἐμοί τ' ἂν εἴη προσφιλὴς φράσας τόδε, | Φοίβῳ τ' ἄνακτι προστελὴς εὐεργέτης.*

ἅπαξ εἰρημένον, si lectio papyri servatur, quam Hunt quidem omnibus, ni fallor, qui fragmenta Ichneutarum tractaverunt, viris doctis assentientibus in *συντελής* mutavit, librarium vocabulo versus praecedentis *προσφιλής* inductum vocabulum adhuc omnino ignotum effinxisse opinatus (Oxyrh. Pap. IX p. 71). Cum autem vocabulum *προστελής*, etsi novum est, tamen vim perspicuam, quae vocabulis *προστελεῖν*, *συντελεῖν*, *συντελής* comparatis latine alicui tributum pendens i. e. alicui parens, alicuius studiosus reddi possit, prae se ferat, lectio papyri mihi videtur esse retinenda.

προσφερής similis.

Ichn. 298 (XII 9) *οὐδ' ὡς ἰχνευτῇ προσφερὲς πέφυκεν οὐδ' ὡς καρκίνῳ;*]

— 301 (XII 12) *νῦν ἐγγὺς ἔγν[ως] ᾧ μάλιστα προσφερὲς τὸ κνώδαλον.*

Vocabulum hocce, quod primum apud Aeschylum (Ag. 1218, Choeph. 176) occurrit, a poetis, velut ab Euripide et Antiphane, et praecipue a scriptoribus orationis solutae, velut aetate Attica ab Herodoto, Thucydide, Platone, aetate Romana a Plutarcho, Eusebio usurpatum est.

**προψαλάσσειν* contrectare.

Ichn. 241 (X 5) *μή με μὴ προψαλ[άξῃς κακοῖς,]*

ἅπαξ εἰρημένον. Si lacunam recte explevit Hunt, versus verti posse videtur: ne me malis verbis contrectes. Fieri enim vix potuit, ut verbum *προψαλάσσειν* a significatione verbi simplicis *ψαλάσσειν*, quod apud scriptores aetatis Romanae, velut apud Aelianum (N. a. 3,8), occurrit, procul recessisset. — Confitendum autem est

lectionem Huntii, quamvis sententiarum nexui bene convenire videatur, tamen esse incertam.

*πύστις cognitio, notitia.

Ichn. 260 (X 24) *Ἥραν ὅπως μ[ὴ πύ]στ[ι]ς ἵξετα[ι λ[όγου.*

Lacunam papyri recte ab editore expletam esse verisimile videtur.

Vocabulum, cuius veterrimum praebet exemplum Aeschylus (Sept. 54), si lectionem codicum optimorum retineamus, quam quidem omnes paene editores auctoritati Ioannis Stobaei nisi in *πίστις* mutaverunt, cognitionis notitiaeve vim sicut ibi et hoc loco Sophocleo etiam apud Euripidem (El. 690) et Thucydidem (III 82,$_3$) aliosque prae se fert, saepius autem et aetate Attica et postea usque ad aetatem Romanam praecipue apud scriptores orationis solutae, velut apud Thucydidem, Platonem, Dionysium Halicarnasseum, Dionem Cassium, sed etiam apud poetas sciscitationem significat.

πώγων barba.

Ichn. 357—358 (XIV 15—16) *νέος γὰρ ὢν ἀνὴρ | π[ώγ]ωνι θάλλων ὥς τράγος κν<η>κῷ χλιδᾷς.*

Hoc vocabulum sermonis cotidiani, cuius exemplum primum Anacreon (fr. 21,$_{11}$ Bergk) praebet, deinde usque ad aetatem Romanam Byzantinamque et apud scriptores orationis solutae et apud poetas occurrit; in tragoediis quidem (apud Aeschylum Ag. 396 et Euripidem fr. 736 Nauck) vim translatam, hoc loco fabulae satyricae Sophocleae sensum proprium prae se fert.

ῥινηλατεῖν naribus persequi.

Ichn. 88 (IV 8) *ῥινηλατῶν ὀσμ[αῖσι*

Hoc vocabulum, quod primum apud Aeschylum (Ag. 1184) occurrit, praecipue aetate Romana a scriptoribus orationis solutae, velut a Philone Alexandrino (I 628,$_7$, II 38,$_{36}$), Clemente Alexandrino (Protr. 10,$_{92}$, Paed. II 8,$_{69}$), usurpatum est. — Vocabula *ῥινηλάτης* et *ῥινήλατος*, unde videtur derivatum esse, quantum equidem scio, apud scriptores demum aetatis Romanae occurrunt.

ῥινοκόλλητος corio conexus vel confixus.

Ichn. 365—367 (XIV 23—25) <ὅ>πως τὸ χρῆμ' οὗτος εἰργασμένος | ῥινοκόλλητον ἄλλων ἔκλεψεν βοῶν | που δορᾶ[ς ἢ] 'πὸ τῶν Λοξίου.

ἅπαξ εἰρημένον. Apud Homerum, ubi κολλητός epitheton est vocabulorum ἅρμα, δίφρος similiumque, accurate confixum significat. Verbum autem κολλᾶν, quod primum apud Aeschylum (Ag. 1567) occurrit, cum glutinare significet, aliunde ortum esse verisimile est. Postea ambo confusa sunt. Nostro quidem loco ῥινοκόλλητος potius cum voce illa Homerica coniungendum est. — Vocabula composita raro occurrunt, qualia sunt δυσκόλλητος apud Lucianum (De conscr. hist. 11) Galenumque et χρυσοκόλλητος, quo Euripides (Phoen. 2) primus usus esse videtur.

ῥοίβδημα stridor (strepitus).

Ichn. 107 (V 1) ῥοίβδημ' ἐάν τις τῶν [βοῶν δ]ι' οὖς [λάβῃ.

ἅπαξ εἰρημένον. Stridorem hoc vocabulum significat sicut ῥοῖβδος, quod itidem primum apud Sophoclem (Ant. 1004) reperitur. Poetici sermonis sunt sicut etiam verbum ῥοιβδεῖν, cuius primum Homerus praebet exemplum (μ 106), alia hic illic apud poetas usque ad aetatem Romanam (Lycophro 247) inveniuntur.

?*σπέος specus, spelunca.

Ichn. 265 (XI 2) [κατὰ σπέ]ος δὲ παῖδ' ἐφίτυσεν μόνον,

Si lacuna recte a Wilamowitz-Moellendorffio est expleta (Hunt, Oxyrh. Pap. IX p. 79), quod quidem Vollgraff in dubium duxit (Mnemosyne NS. 42 p. 171), vocabulum, cuius hucusque nulla exempla nisi apud poetas epicos inde a temporibus Homericis inveniri potuerunt, hoc loco primum apud poetam tragicum occurrit, at hic quoque in narratione, ut ita dicam, epica nymphae.

Στράτιος militaris, vehemens.

Ichn. 183 (VII 25) Στράτιος. Στράτ[ιος

Hoc vocabulum, quo poetam Satyrum quendam nominasse Robert opinatus est (vide Γράπις), iam apud Homerum (γ 413, 439)

et deinde non solum apud scriptores sed etiam in inscriptionibus lapidariis nomen virile est. Neque est, cur obliviscemur *Στράτιος* etiam cognomen Iovis et Martis nec non Minervae esse. Loco autem nostro huic vocabulo vis quaedam comica inest, cum Satyro, quem nemo pavidum ignavumque esse ignoret, huiusmodi nomen impositum sit. — Alias adiectivum *στράτιος* rarissimum est; positivo semel Aristophanes (Vesp. 618), comparativo poeta ignotus apud Choeroboscum (Can. II 210,35) usi sunt.

σύλησις spoliatio.

Ichn. 75 (III 22) *λείαν ἄγραν σύλη[σ]ιν ἐκκυνηγέσαι*

Veterrimum hoc est exemplum vocabuli admodum rari, quod aetate Attica Romanaque apud scriptores orationis solutae, velut apud Platonem (Legg. IX 853 D), Diodorum Siculum (XI 14,3), Strabonem (IX 3,8) hic illic occurrit.

συμποδηγετεῖν una ducere.

Ichn. 163 (VII 5) *πάτερ, παρὼν αὐτός με συμποδηγέτε[ι,*

ἅπαξ εἰρημένον. Eandem fere vim ac *συμποδηγεῖν* habet, cuius unica Plato (Polit. 269 C, 270 A) praebet exempla. Verbum simplex *ποδηγετεῖν* primum apud Democritum (fr. 173 Diels), deinde non nisi apud scriptores aetatis Romanae, velut apud Oppianum (Cyn. 4,360), Lycophronem (12), Philonem occurrit. *ποδηγέτης* apud scriptores aetatis Romanae apparet, *ποδηγεῖν* iam aetate Attica apud Platonem (Legg. X 899 A).

συνάμα simul, una.

Ichn. 70—71 (III 17—18) *συνάμα θεὸς ὁ φίλος ἀνέτω | πόνους*

Versibus, qui praecedunt, male deletis non plane apparet, num re vera Sophocles hoc loco vocabulo *συνάμα* usus sit, etsi nihil est quod obstet. Si autem ita est, veterrimum hoc est exemplum vocabuli, cuius exempla ni fallor omnia hucusque cognita apud scriptores aetatis Hellenisticae et Romanae Byzantinaeque, velut apud Theocritum (25,126), Damagetum (Anth. Pal. VII 9,2), Lucianum,

Georgium Acropolitam, occurrunt; — libros falso Aristoteli attributos *περὶ φυτῶν*, ubi *σύναμα* semel occurrit (II 7, 827 A 8) medio demum aevo e latino in graecum sermonem translatos esse constat. Sermonis cotidiani videtur esse.

(*σ υ ν τ ε λ ή ς* una tributum pendens, contribuens.

Ichn. 79 (III 26) [*Φοίβῳ τ*]' *ἄνακτι προστελὴς εὐεργ*[*έ*]*της*.

De *προστελής* vocabulo, quod Hunt errore librarii ortum esse opinatus in *συντελής* mutandum esse censuit (Oxyrh. Pap. IX p. 71), vide quae ad illud vocabulum attuli. — Vocabulum *συντελής*, cuius veterrimum exemplum Aeschylus (Ag. 532) praebet, praecipue apud scriptores orationis solutae et in inscriptionibus lapidariis usque ad aetatem Romanam occurrit.)

σ ύ ρ ι γ μ α sibilus, stridor.

Ichn. 166—167 (VII 8—9) *ἐγὼ πα*[*ρ*]*ὼν αὐτός σε προσβιβῶ λόγῳ* | *κυνορτικὸν σύριγμα διακαλούμεν*[*ος*.

Veterrimum est exemplum vocabuli, quo postea aetate Attica Euripides (Bacch. 952 [de cantu fistulae]) et Aristophanes (Ach. 554), aetate Romana Dionysius Halicarnasseus (De comp. 14), Longus (2,35), Eusebius alii usi sunt. — Vocabula eiusdem stirpis *συριγμός* primum apud Xenophontem (Conv. 6,5), *σύριγξ* iam in carminibus Homericis, *συρίζειν* primum apud Aeschylum (Sept. 463, Prom. 357) occurrunt, alia posteriora sunt.

σ χ ο λ ά ζ ε σ θ α ι otium agere, vacare, cessare.

Ichn. 275—276 (XI 12—13) *κἀξορμενίζει κοὐκέτι σχολάζεται* | *βλάστη*·

De fragmento iam antea cognito (fr. 294 Nauck) vide quae ad vocabulum *ἐπισχολάζεσθαι* attuli.

Hoc vocabulum, cuius formae activae prima exempla Aeschylus (Suppl. 207, 883) mediae hoc loco veterrimum Sophocles exemplum praebet, usque ad aetatem Byzantinam a scriptoribus et orationis solutae et poeticae usurpatum est. Cotidiani sine dubio sermonis est.

τάγμα agmen, cohors.

Ichn. 114 (V 9) *τίς ὁ τρόπος τοῦ τάγματ[ος;*

In margine varia lectio *πράγματος* adscripta est.

Vocabulum commune, cuius exemplum veterrimum hoc loco Sophocleo occurrit, usque ad aetatem Byzantinam in primis apud scriptores orationis solutae in usu fuit, aliis autem locis aliam vim prae se fert. Hoc enim loco gregem vel agmen significat, aetate Attica apud Xenophontem aliosque agmen militare est, aetate Romana posteriore etiam vim factionis vel ordinis hominum prae se fert, quam a significatione militari potius quam a significatione primaeva derivatam esse verisimile videtur. Commemorandum est *τάγμα* iam aetate Attica, etiam legem, institutum (Aristoteles Pol. IV 9, 1294 B 6) et aetate posteriore certam pecuniae summam (Pseudo-Aristot. Oecon. II 1349 A 24) significare.

?**τορῶς* penetranter, clara voce, perspicue.

Ichn. 108 (V 3) *οὐκ εἰσακούω πω [τορῶ]ς τοῦ φθ[έγ]ματος,*

Coniectura, qua Wilamowitz-Moellendorff lacunam papyri explevit (Hunt, Oxyrh. Pap. IX p. 72), etsi loco est aptissima, tamen valde est incerta. — Vocabulum *τορῶς*, quod primum et satis quidem crebro in tragoediis Aeschyleis occurrit, et apud eum et apud Euripidem (Ion 646) atque apud scriptores orationis pedestris, qui aetate Romana floruerunt, velut apud Plutarchum (Mor. 405 B), Dionem Cassium (LXIII 15,2, LXXV 12,1), Clementem Alexandrinum aliosque clare, clara voce, perspicue significat; aetate autem Attica apud Aristophanem (Ran. 1102) et Platonem (Theaet. 175 E) violenter vel fortiter designare videtur.

**Τρέχις*

Ich. 188 (VIII 4) *ὅδε γ' ἀγαθὸς ὁ Τρέ[χις]*

Si coniecturam Roberti, qui hoc nomen Satyri esse opinatus est (vide *Γράπις*), approbemus, hic vocabulum *ἅπαξ εἰρημένον* habemus. Incertissima sane est coniectura, sed concedendum certe est *Τρέχις* nomen Satyro optime convenire.

τρίγομφος tribus clavis fixus.

Ichn. 309 (XII 20) *[ἐνήλατα ξύλ' ὡς τρίγομφα διατ]όρως ἐρείδεται*

ἅπαξ εἰρημένον, e fragmento illo Ichneutarum a Polluce (10,34) allato notum (fr. 293 Nauck), quod a Schenklio, recte ni fallor, huic loco insertum est (vide *διατόρως*). — Vocabulum cotidiani sermonis proprium *γόμφος*, quo iam Homerus usus est, praecipue apud scriptores sermonis pedestris usque ad aetatem Romanam occurrit.

(**τροχώδης** rotae similis, rotundus.

Ichn. 295 (XII 6) *βραχὺς χυτρ<ώ>δης πο[ι]κίλη δορᾷ κατερρικνωμένος.*

In margine varia lectio *τροχοίδης* (i. e. *τροχώδης*) adscripta est, quae aeque bene ac *χυτρώδης* sententiae congruit, ut difficile sit diiudicare, quaenam lectio in textum recipienda sit, nisi forte putemus vocem rariorem magis fuisse pravae lectioni obnoxiam, ideoque vocabulum *ἅπαξ εἰρημένον χυτρώδης* retinendum esse. — Ceterum ne *τροχώδης* quidem vocabulum crebro occurrit; quantum enim equidem scio, huc usque non nisi in Lexico Apollonii (120,13) et in scholiis ad Nicandrum (Ther. 166) repertum est. — Vocabulum ex eadem stirpe derivatum *τροχοειδής*, cui eadem vis inest, iam a Theognide (7) et Bacchylide (8,32) et Herodoto (2,170) usurpatum est posteaque usque ad aetatem Romanam hic illic occurrit.)

(**τώς** ut.

Ichn. 296 (XII 7) *ὡς αἰέλουρος εἰκάσαι πέφυκεν ἢ τως πόρδαλις;*

Cum vocabulo *τώς* vis coniunctionis ut nusquam sit subiecta nisi loco illo Aristophaneo (Ach. 762), ubi rusticus Megarensis vernacula sua dialecto loquitur (locus quidem Aeschyleus [Sept. 637], ubi nonnulli *τώς* ut significare putaverunt, aut corruptus est aut aliter certe explicandus), vir doctissimus P. Maas corruptelam suspicatus pro *ἢ τως* vocabula *εἶθ' ὡς* legenda esse coniecit (D. Lit:Zeit. 33 p. 2784). J. M. Stahl, cui item *τώς* spurium visum est, coniecturam *ἢ χὡς (ἢ καὶ ὡς)* proposuit (Rhein. Museum 68 p. 307).

Cum tam levi mutatione dictio a sermone fabulae Atticae prorsus aliena removeri possit, non est, cur emendationem Maasii, quae mihi quidem magis quam coniectura Stahlii placet, reiciamus.)

ὖ ὖ, ὖ ὖ

Ichn. 125 (V 20) ὖ [ὖ] ὖ ὖ.

— 170 (VII 12) ὖ ὖ ὖ, ψ ψ, ἆ ἆ, λέγ' ὅτι πονεῖς.

Interiectionem, qua Aristophanes (Plut. 895) sonum, quem quis olfaciens spiritum naribus attrahendo edit, imitatus est, poeta noster versu 125 ad terrorem exprimendum, versu 170 ut sonitum olfacientis vel fortasse itidem ut terrorem exprimeret, adhibuit.

ὑλώδης silvosus, nemorosus.

Ichn. 215—216 (IX 6—7) θῆρες, τί [τό]νδε χλοερὸν ὑλώδη πάγον | ἔν[θ]ηρον ὡρμήθητε σὺν πολλῇ βοῇ;

Veterrimum est exemplum vocabuli sermonis ut videtur cotidiani, quo aetate Attica Thucydides (IV 8,6) et Xenophon (Cyn. 5,15), deinde usque ad aetatem Byzantinam scriptores orationis pedestris usi sunt. — Vocabulum poeticum, quod eandem fere vim prae se fert, ὑλήεις etiam a Sophocle (Ai. 1218) usurpatum est.

ὑποκλάζειν sonare, lamentationes tollere.

Ichn. 171—172 (VII 13—14) τί μάτην ὑπέκλαγες ὑπέκριγες | ὑπό μ' ἴδες;

ἅπαξ εἰρημένον. Verbum simplex, quod iam ab Homero saepe usurpatum est, in primis apud poetas, rarius apud scriptores orationis pedestris occurrit.

(Aetate Romana et scriptores pedestres et poetae alio ὑποκλάζειν verbo ex ὀκλάζειν derivato usi sunt.)

ὑποκρίζειν tenui voce stridere.

Ichn. 171—172 (VII 13—14) τί μάτην ὑπέκλαγες ὑπέκριγες | ὑπό μ' ἴδες;

Longe veterrimum est exemplum vocabuli, cuius hucusque, quantum equidem scio, unicum exemplum aetate Romana Aelianus

(N. a. 6,19) praebet. — Verbum quoque simplex *κρίζειν*, quo primum Homerus (*Π* 470) usus est, raro occurrit.

ὑπόνομος subterraneus; cuniculus, specus.

Ichn. 63 (III 10) *ὑπόνομα κ*[. . .

Si re vera hoc loco vocabulum *ὑπόνομος* habemus, quod versibus tam mutilatis non prorsus certum esse videtur, veterrimum est exemplum vocabuli, quod aetate Attica apud Thucydidem (II 76,2) aliosque scriptores orationis solutae substantivi (masculini generis) vim prae se fert, aetate Romana et Byzantina apud scriptores sermonis pedestris et substantivi et adiectivi partibus fungitur. Hoc loco Sophocleo, ubi neutrius generis esse videtur, utrum substantivum an adiectivum sit, diiudicari non potest. Neque propter mutilationes papyri eo magis concludi potest, quid hoc loco significet, cum, etsi e reliquiis versuum chorum de fure consectando locutum esse appareat, tamen mentionem latebrae furis subterraneae factam esse vix opinari liceat. Potius quidem putandum est chorum dixisse furem omni, quo fieri possit, modo consectandum esse, etiam si terram fodere necesse sit.

(***ὑπορρυπαίνειν**

Ichn. 153—154 (VI 21—22) [ἅ] *νῦν ὑφ' ὑμῶν λάμ*[*πρ' ὑ*]*πορρυπαίνεται* | [*ψ*]*ό*φ*ῳ νεώρει κόλακ*[*ι*] *ποιμένων π*[*ο*]*θέν*,

Incertum est, utrum *ὑπορρυπαίνειν* an *ἀπορρυπαίνειν* hoc loco scribendum sit, cum utrumque vocabulum adhuc ignotum sit; sed vide, quae ad *ἀπορρυπαίνειν* attuli).

ὕποσμος qui odore percipi potest, olfaciens.

Ichn. 91 (IV 11) *ὕποσμος ἐν χρῷ* . [. . .

Veterrimum exemplum vocabuli perrari, quod olfacientis vim hucusque solum apud Hesychium et Photium (630,14) prae se fert, quam vim hoc quoque loco Sophocleo ei subiectam esse non est, cur dubitemus, cum in memoriam revocemus Silenum versibus 85—93 satyrum unumquemque incitasse, ut vestigia boum quaereret

ῥινηλατῶν ὀσμαῖσι, διπλοῦς ὀκλάζων (curvatus), ὕποσμος ἐν χρῷ (ex propinquo olfaciens). — In exemplo, quod apud Aristotelem (De anima II 9, 421 B 12) occurrit, vim eius qui odore percipi potest prae se ferre videtur.

ὑστέρως posterius, postea.

Ichn. 360—361 (XIV 18—19) οὐκ ε<ίς> ϑε<ούς> τὰ μῶρα καὶ γελοῖα χρὴ | χανόντα κλαίειν ὑστέρως, ἐγὼ λέγω.

In papyro haec leguntur: [.]υκεκϑεωνταμωρακαιγελοιαχρη | [.]ανοντακλαιεινυστερωιτεγωγελω, vocabulis in margine υστερως εγω adscriptis, quos versus Hunt ita reddidit: οὐκ ἐκ ϑεῶν τὰ μῶρα καὶ γέλοια χρὴ | χανόντα κλαίειν ὕστερ'; ὥς ἐγὼ λέγω, litteris λ et γ ultimae vocis inter se mutatis. Wilamowitz-Moellendorff ἐκ ϑεῶν in εἰς ϑεούς mutavit et litteras ultimas sic divisit: ὑστέρως, ἐγὼ λέγω (N. Jahrb. XXIX p. 460[2]). Coniectura εἰς ϑεούς, qua sententia dilucida efficitur, approbanda videtur, sed utrum ὕστερ'; ὥς ἐγὼ λέγω an ὑστέρως, ἐγὼ λέγω scribendum sit, difficile est diiudicare. — Si lexico Ammonii (119) credere liceat, vocabulum ὑστέρως a Platone est usurpatum; in libris Platonicis tamen nullum eius exstat exemplum. Alias hoc vocabulum non nisi infima aetate Romana et Byzantina apud Basilium Magnum (1,52 A) et Georgium Alexandrinum (Vita Ioannis Chrysostomi VIII 207,34) occurrit (si sanae sunt lectiones). Vocabula quidem πρώτως et δευτέρως iam aetate Attica in usum venisse exempla scriptorum confirmant, etsi Phrynichus (Ecl. 311) δευτέρως Atthidis non esse contendit. πρώτως enim vocabulum apud Aristotelem pluries (et apud Platonem, si Ammonio et Thomae Magistro confidendum est), δευτέρως apud Platonem (Legg. III 696 E, XII 955 E) et Aristotelem (Metaph. IV 18, 1022 A 18, Eth. Nic. IX 9, 1158 B 31, X 5, 1176 A 29) occurrit. Itaque mea quidem ex sententia nihil obstet, quominus iam antea ὑστέρως a Sophocle usurpatum esse putemus. — Vocabulum ὕστερα, quod Huntio magis placuit, adverbii loco vel numquam vel perraro usurpari commemorandum est.

ὑφορᾶν suspicere.

Ichn. 171—172 (VII 13—14) τί μάτην ὑπέκλαγες ὑπέκριγες | ὑπό μ' ἴδες;

Veterrimum est exemplum vocabuli aetate Attica et Romana satis communis, cuius quidem activae formae, quali Sophocles hoc loco usus est, multo rarius occurrunt quam mediae, quae temporibus praecipue posterioribus omnino praevaluerunt. Verbum ὑφορᾶν hoc loco nullam suspicionis vim prae se ferre observandum est.

φαλακρός calvus.

Ichn. 359 (XIV 17) παύου τὸ λεῖον φαλακρὸν ἡδονῇ πιτνάς.

Vocabulum commune, cuius exemplum veterrimum Anacreon (fr. 68 Bergk) praebet; deinde usque ad aetatem Romanam in usu erat. Hoc autem loco Sophocleo τὸ φαλακρόν pro substantivo usurpatum esse videtur, ut caput capillis nudum designaret, qualem usum Photius (637,24 φαλακρὸν ἀντὶ τοῦ κεφαλὴν φαλακράν) testatur nullo tamen scriptoris exemplo allato. Alibi quantum scio τὸ φαλακρόν non occurrit, sed commemorandum est etiam alia huius adiectivi genera substantivorum vice functa esse; ὁ φαλακρός enim apud Eupolidem (fr. 276,5 Kock) et Aristophanem (Pac. 771, Nub. 541) hominem calvum, ἡ φαλακρά apud Synesium calvitiem significat. Saepe autem hoc vocabulum ita usurpatum est, ut difficile sit diiudicare, utrum re vera substantivi an adiectivi vim prae se ferat.

φαλῆς penis.

Ichn. 144—145 (VI 12—13) [σ]ώ[μ]ατ' εἰ[σ]ιδ[ε]ῖν μόνον κα[ὶ γ]λῶσσα καὶ φ[αλ]ῆτες;

Vocabuli, quod quin recte restitutum sit, non est cur dubitemus, hoc veterrimum est exemplum. Deinde et apud Aristophanem (Lys. 771) et apud Theocritum (Anth. Pal. IX 437,3) et apud poetam comicum ignotum, quem Dio Chrysostomus (Or. XXXIII 63) commemorat (fr. incert. poet. 7 Kock), occurrit. — Φαλῆς ille deus, quem Aristophanes (Ach. 261, 271, 276) et Lucianus (Iup. Trag. 42) commemorant, nihil aliud ac φάλλος est.

φυή corporis statura, species, natura.

Ichn. 300 (XII 11) *ἀλλ' ὡς κεράστ[η]ς κάνθαρος δῆτ' ἐστὶν Αἰτναῖος φυήν;*

Vocabulum hocce in primis poeticum, quo inde a temporibus Homeri poetae epici et lyrici usi sunt, apud tragicos hucusque non nisi semel apud Euripidem (El. 461) occurrit. Aetate Hellenistica et Romana etiam in oratione soluta, praecipue in versione LXX interpretum et a scriptoribus ecclesiasticis velut ab Eusebio usurpatum est.

**φώρ* fur.

Ichn. 37 (II 10) *[τὸν φ]ῶρα τ<ῶν> Παιῶνος ὅστις ἄ[ν λάβῃ]*

— 227 (IX 18) *ὁμοῦ δ' ἂν αὔτι[ς . .] . . αι φωρ [. . .]*

Non est cur dubitemus, quin priore loco lacuna recte sit suppleta; posteriore autem loco incertum est, quaenam forma e stirpe *φωρ-* derivata in textu exstiterit.

Veterrimum hic habemus exemplum vocabuli, quo eodem saeculo etiam Herodotus (2,174) usus est. Postea usque ad aetatem Romanam Byzantinamque interdum apud poetas et apud scriptores sermonis pedestris occurrit.

χαλέπτειν damno afficere, urgere, pass. iratum esse.

Ichn. 328—329 (XIII 12—13) *σὺ δ' ἀντὶ τῶνδε μὴ χαλε-| φθῇς μ<η>δὲ δυσφορηθῇς.*

Forma huius vocabuli poetici activa iam apud Homerum semel (δ 423) occurrit, passiva, si Stobaeo fides est habenda, primum apud Theognidem (155) legitur; libri quidem Elegiarum Theognidearum manu scripti loco illo *χολωθείς* habent. Postea *χαλέπτειν* usque ad aetatem Romanam apud poetas in primis epicos occurrit; a scriptoribus sermonis pedestris perraro praecipue formae eius activae, velut a Plutarcho (Mor. 487 B), usurpatae sunt.

χλοερός viridis, herbidus.

Ichn. 215—216 (IX 6—7) *θῆρες, τί [τό]νδε χλοερὸν ὑλώδη πάγον | ἔν[θ]ηρον ὡρμήθητε σὺν πολλῇ βοῇ;*

In margine lectio varia χῶρον [Ἀρ(ιστοφά)]ν(ης) annotata est, quae, etsi sententiam sat bonam efficiat, tamen minus probabilis quam χλοερόν esse videtur. Librarium errore χῶρον pro χλωρόν scripsisse facile conici potest, quales errores in libris manu scriptis frequenter occurrunt (velut in fragmento fabulae Sophocleae, quae Thyestes inscribitur [fr. 234 Nauck], ubi lectio corrupta χῶρον a Bergkio in χλωρόν mutata est). Non tamen est, cur id, quod in textu nostro legitur, χλοερόν in χλωρόν mutemus. Hoc sane vocabulum inde a temporibus, ubi carmina Homeri confecta sunt, usque ad aetatem Romanam et apud scriptores sermonis pedestris et apud poetas crebro occurrit, illi autem usu quidem rariori, quod primum apud Hesiodum (Sc. 393), deinde apud Euripidem et aetate Hellenistica et Romana apud poetas, velut Apollonium Rhodium (1,546), Theocritum (13,41, 27,65), Nonnum (Dion. 26,188) atque etiam apud scriptores orationis solutae, velut apud Plutarchum, occurrit, vis poetica maior inesse videtur.

χρυσόφαντος auro fulgens.

Ichn. 156 (VI 24) πλοῦτον δὲ χ[ρ]υσόφαντον ἐξαφί[ε]τε.

ἅπαξ εἰρημένον ex eisdem fere elementis formatum ac χρυσοφανής, quo Aelianus (N. a. 17,2) et Dioscurides (4,57, 5,117) usi sunt, (χρυσοφανια, quod Athenaeus (14,636 D) in versu male corrupto hymni cuiusdam in Dianam attulit, valde est incertum). Quod ad significationem attinet, a vocabulis χρυσοφάεννος, cuius unicum Anacreon (fr. 25 Bergk) praebet exemplum, et χρυσοφαής, quod Euripides (Hec. 636, Hipp. 1276), Plutarchus (Flam. 12 e carmine coronae aureae a Flaminio Apollini consecratae inscripto) praebent, et φρυσοφεγγής, quo Aeschylus (Ag. 288) usus est, non multum discrepat (cf. Münscher, Rhein. Museum 69 p. 171). Quae omnia in oratione poetica et raro quidem occurrunt, etsi non omnia *ἅπαξ εἰρημένα* sunt. — Eodem modo ac χρυσόφαντος alia vocabula nonnulla, in primis poetica, derivata sunt, velut ἄφαντος, quo iam Homerus usus est, et Sophoclea ἐπίφαντος (Ant. 841) et περίφαντος (Ai. 228, 598), quod etiam in hymnis Orphicis (20,1) occurrit.

χυτρώδης ollae similis.

Ichn. 295 (XII 6) *βραχὺς χυτρ<ώ>δης πο[ι]κίλῃ δορᾷ κατερρικνωμένος.*

In textu *χυτροίδης* scriptum est, cui in margine lectio varia *τροχ<ώ>δης* est adscripta.

ἅπαξ εἰρημένον. Vollgraff emendationem sane levem, qua *χυτρώδης* e *χυτροίδης* effectum est, in dubium vocare conatus (Mnemosyne NS. 42 p. 173—174) quaerit possintne *χυτροιδής* et *τροχοιδής* per contractionem e *χυτροειδής* et *τροχοειδής* orta esse, etsi cetera adiectiva in *-οειδης* exeuntia contractionem respuere constet. Qualis contractio sane adhuc a Graeca linguae normis abhorrere videbatur. Ac commemorandum certe est, vocabulum *χυτροειδής* quippe quod, quantum equidem scio, in scholiis tantum duobus occurrat, altero ad Theocritum (5,$_{58}$), altero ad Clementem Alexandrinum (I 188,$_{10}$) tam rarum esse, ut asseverari sane non possit etiam Sophoclem hoc vocabulo multo, ut videtur, recentiore usum esse, praesertim cum vocabulum *χυτρώδης*, etsi *ἅπαξ εἰρημένον* sit, comparatis e. g. *τροχώδης* et *τροχοειδής* vocabulis nihil inusitati habeat.

ψψ

Ichn. 170 (VII 12) *ὖ ὖ ὖ, ψψ, ἆ ἆ, λέγ' ὅ τι πονεῖς.*

ἅπαξ εἰρημένον. Hunt monet *ψψ* idem ac *ψίττα* i. e. pst! significare (Oxyrh. Pap. IX p. 75). In hac interiectione vim quandam exhortandi vel excitandi inesse, ni fallor, e nexu sententiarum apparet, quam vim etiam *ψίττα* et eiusmodi vocabula a pastoribus (velut apud Theocritum 1,$_{45}$, 5,$_{3}$, 8,$_{69}$) usurpata habent. — Sententiam Maasii, qui *ψψ* hoc loco *ψαλμὸν διπλοῦν* significare coniecit (D. Lit:zeit. 33 p. 2784), recte Münscher reiecit (Rhein. Museum 69 p. 183), cum sonum illum subterraneum, qui iam antea (107) Satyros perterruit, ante versum 197 iterum auditum esse incredibile esse videatur.

III.

Hic vocabula nonnulla Ichneutarum, quae aliud alia causa mihi notabilia visa sunt, etsi iam antequam fragmenta huius fabulae reperta erant, Sophoclem eis usum esse cognitum erat, enumerabo. Alia sunt, quae coniecturis emendanda esse viri docti perhibuerint; alia locos Sophocleos, qui hucusque incerti vel corrupti opinabantur, confirmare vel explicare videntur. In primis autem in animum induxi, ut vocabula enumerarem, quae in Ichneutis significationem ab aliis exemplis Sophocleis discrepantem prae se ferrent. Magni praecipue momenti ea sunt vocabula, quorum exempla omnino prima poeta noster praebuit, sive quod apud eum tantum occurrunt sive deinde communioris usus sunt; nonnulla etiam in exemplis Ichneutarum alium ac in exemplis adhuc cognitis sensum praebent.

ἀγρώστης rusticus, venator.

Ichn. 33—34 (II 6—7) [*ὡς εἴτε ποι*]*μὴν εἴτ' ἀγρώστη*[*ς ἤ τις ὢν*]| [*μαριλοκαυ*]*τῶν ἐν λόγῳ παρ*[*ίσταται*

Vocabulum *ἀγρωστήρ* cum omnino ignotum esset, *ἀγρωτήρ* vero apud Stephanum Byzantium occurreret, Hunt Wilamowitz-Moellendorffio adiuvante lacunas versus 33 sic supplevit: [*ὡς εἴτε ποι*]*μὴν εἴτ' ἀγρωτή*[*ρων τις ἦ*], littera *σ* vocabuli *ἀγρωστη* . . omissa (Oxyrh. Pap. IX p. 69). Lectionem autem papyri servari posse opinatus Vollgraff coniectura Huntiana [*ὡς εἴτε ποι*] approbata recte, ut mihi quidem videtur, coniecit lacunam paulo aliter esse explendam: *ἀγρώστη*[*ς ἤ τις ὢν*] (Mnemosyne NS. 42 p. 83). — Vo-

cabulum poeticum ἀγρώστης semel apud Sophoclem (Alexander fr. 91 Nauck) adiectivi vices fungitur; substantivo Euripides et poetae posteriores usque ad aetatem Romanam usi sunt. Incertum videtur esse, utrum hoc loco rusticum an venatorem significet; hanc quidem vim semel apud Apollonium Rhodium (4,175) prae se fert.

ἄκεστρον medicamen.

Ichn. 317 (XIII 1) καὶ τοῦτο λύπη[ς] ἔστ' ἄκεστρον καὶ παραψυκ[τ]ήρ[ιο]ν

Nusquam nisi apud Sophoclem huius vocabuli fit mentio, ἅπαξ εἰρημένον tamen non est, cum Hesychius exemplum hucusque cognitum non ex Ichneutis sed e Palamede, tragoedia deperdita, affert (fr. 439 Nauck). — Verbum ἀκεῖν (et ἀκεῖσθαι) et vocabula ex eadem stirpe oriunda alia iam in carminibus Homericis et apud poetas tragicos scriptoresque Atticos inveniuntur, alia aetatis Romanae sunt.

*ἀκολουθία consecutio, agmen canum venaticorum.

Ichn. 15 (I 15) [ἀκολο]υθίᾳ γὰρ ἐμμαν<ή>ς κυνηγετῶ.

Fragmentum a Photio allatum ἀκολουθία· ἡ ἀκολούθησις. Σοφοκλῆς (fr. 899 Nauck) ad hunc locum spectare arbitratus lacunam explevit Wilamowitz-Moellendorff (Hunt, Oxyrh. Pap. IX p. 68). Hoc vocabulum, cuius veterrima exempla Sophocles praebet, saepius consecutionis vim prae se fert, sed etiam comitatum et apud Xenophontem quidem (Cyn. 10,5) agmen canum venaticorum. Hoc loco Xenophonteo nisus Vollgraff, qui coniecturam Wilamowitz-Moellendorffii a Huntio in textum receptam approbavit, vocabulo ἀκολουθίᾳ nostro quoque loco, ubi Apollo venatorum more loquitur, vim illam venaticam subiectam esse monuit (Mnemosyne NS. 42 p. 82). Cum hanc interpretationem rectam esse censeam, non possum facere, quin exemplum a Photio allatum ad alium quendam locum spectare putem, qua de causa vocabulum ἀκολουθία non inter ea vocabula Sophoclea, quae in Ichneutis tantum occurrunt, attuli. — Commemorandum est Murraium lacunam alio modo explere conatum esse; [δυσπε]υθίᾳ enim proposuit (Hunt, Oxyrh. Pap. IX

p. 68); hoc tamen vocabulum, quod quantum equidem sciam, novum est, non aeque bene ac coniectura illa Wilamowitz-Moellendorffii sententiae aptum esse videtur.

ἀλύειν exsultare, languere.

Ichn. 318—319 (XIII 2—3) *χαίρει δ' ἀλύων καί τι προσφων[ῶν μέλος] | ξύμφωνον·*

Hunt verba *χαίρει δ' ἀλύων* anglice sic reddit: he delights in the mad joy (Oxyrh. Pap. IX p. 82). Bucherer vero (Berl. phil. Wochenschr. 32 p. 1107 seq.) hoc loco vocabulum, quod fidibus canendi vim haberet, requiri opinatus *ἀλύων* in *ἀθύρων* mutandum esse censuit. Hac autem sententia, cui etiam Maas (ibid. p. 1429) assensus erat, reiecta Vollgraff (Mnemosyne NS. 42 p. 174—175) verbum *ἀλύειν*, quod proprie de animi commotionibus, sive gaudio sive dolore sive amore sive musicis oriuntur, quae hominibus sensum eripiunt, dicatur, sententiae bene esse accommodatum ideoque servandum esse perhibet. At Crönert (s. v. *ἀλύω*, in editione lexici Passowiani nova) hoc loco deum infantem taedio affectum se lyra oblectare dici ostendit. Quod mihi quidem sententiarum nexui optime convenire videtur. — Hoc vocabulum, quo inde a temporibus Homeri usque ad aetatem Romanam in primis poetae, aetate recentiore etiam scriptores orationis solutae usi sunt, in tragoediis Sophocleis occurrere (OR. 695, El. 135, Phil. 174, 1194) nemo ignorat, sed cum in tragoediis mentis agitationem acerbissimo moerore vel angore affectae designaret, nostro autem loco sensum non mediocriter discrepantem taedii summi prae se ferre videretur, hic erat afferendum.

Restat ut moneam in papyro *ἀλυίων* esse scriptum, quod ab editore, omnibus fere assentientibus, in *ἀλύων* est mutatum. At Vollgraff quidem formam illam non librarii errore natam, sed *παραδιόρθωμα* grammatici aut ipsam manum poetae esse censuit, qua de causa retinenda sit, si recte intellexi. Eandem formam Gu. Schulze iam antea (Quaest. epicae p. 310 seq.) Homero vindicaverat, qui syllabam huius verbi secundam plerumque sane corripit, sed uno loco (*ι* 398) producit, ubi grammaticos nonnullos *υι* scripsisse testis

est Eustathius. — Res mihi quidem nondum ad liquidum perducta esse videtur.

ἄξενος inhospitalis, inimicus, inhumanus.

Ichn. 238—240 (X 2—4) *οὔτε γὰρ νεῖκος ἤ[κει σέ τοι]|δᾴου μάχας οὐδ' ἄξενό[ς που σέθεν]|γλ[ῶ]σσ' ἂν μάταιύς τ[' ἀφ' ἡμῶν θίγοι.*

Hoc loco non ut Phil. 217 (et Ant. 969) de loco inhospitali agitur sed *ἄξενος* vocabulo vis inhumani subiecta est, quam vim etiam apud Platonem et Lucianum prae se fert. Apud poetas plerumque inhospitalem significat.

δᾷος hostilis.

Ichn. 238—239 (X 2—3) *οὔτε γὰρ νεῖκος ἤ[κει σέ τοι]|δᾴου μάχας*

δάιος (δήιος) et *δᾷος (δῇος)* formarum, quae in primis apud Homerum promiscue usurpantur, hoc loco primum brevioris exemplum Sophocleum apparuit; antea apud hunc poetam trisyllaba tantum forma reperta erat (Ai. 365, 784, OC. 699, 1044).

ἔγγονος indigena; proles.

Ichn. 222 (IX 13) *σὺν ἐγγόνοις νύμφαισι κ<ώπα>δῶν ὄχλῳ;*

Valde est incertum sitne hoc vocabulum a Huntio (Oxyrh. Pap. IX p. 77 the nymphs his offspring) et Roberto (Hermes 47 p. 551) recte explicatum an non, cum nymphas e Sileno natas esse novissimum sit nullo apud scriptores exstante exemplo. Optime vero Vollgraff (Mnemosyne NS. 42 p. 90) *ἔγγονος* loco nostro idem ac *ἐγγενής*, quod etiam apud Sophoclem occurrit, significare perhibet; nymphas indigenas et comitum turbam deum circumbachari bene convenit. Quae explicatio, etsi vocabulo *ἔγγονος* significationem indigenae fuisse subiectam hucusque sane, quantum equidem scio, non est testimoniis demonstratum, admodum videtur esse perspicua. Ex exemplis a viris doctis allatis, qui usum formarum alternantium *ἔγγονος* et *ἔκγονος* tractaverunt (Kühner-Blass, Griech. Gramm. I 1³ p. 261, Meisterhans-Schwyzer, Gramm. d. att. Inschr.³ p. 107, Crönert, Mem. Gr. Herc. p. 55¹)

κ ante γ velut ἐκ in ἔκγονος in ἐγ aetate Attica abiisse apparet. Saeculo quidem quinto ex inscriptionum nec non librorum manu scriptorum testimoniis, ni fallor, elucet formam primariam ἔκγονος quo iam Homerus usus est, praevaluisse; apud Sophoclem certe libri optimi formam ἔκγονος plurimis in locis habent (OR. 171, 1474 [L ἐγγόνοιν], Ai. 842, OC. 587). Loco autem nostro Ichneutarum, cum e sententia ἔγγονος re vera ἔνγονος esse apparere videatur, non analogiae captandae causa mutandum est, sed nescio an potius inter illa, quae apud Sophoclem in Ichneutis primum occurrunt, vocabula afferendum esset.

ἔγχωρος indigena.

Ichn. 322—323 (XIII 6—7) πρεπτὰ <δ' αὖ> διὰ τόνου φάσματ' ἔγ|χωρ' ἐπανθεμίζει·

De coniectura Stahlii, qui (Rhein. Museum 68 p. 308) ut meliorem efficeret sententiam, ἔγχορδ' pro ἔγχωρ' scripsit, vide quae ad πρεπτός attuli. Addendum fortasse est ἔγχορδος in exemplis hucusque cognitis, quae aetatis Romanae sunt (apud Pollucem), non ἐν χορδαῖς sed chordis instructum significare. — ἔγχωρος vocabulum proprie Sophocleum (Phil. 692, OC. 125, fr. 851 Nauck) esse videtur neque postea, quantum scio, nisi apud Lycophronem occurrit.

ἐκμάσσειν abstergere, imprimere.

Ichn. 104 (IV 25) αὔτ' ἐστὶ τοῦτο μέτρον [ἐ]κμε[μαγ]μ[έ]νον. — 140—141 (VI 8—9) μάλθης ἄναγνα σώ[μα]τ' ἐκμεμαγμένα,| κάκιστα θηρῶν ὄντ[ες,

Priore loco lacunas viri docti aut [ἐ]κμε[μαγ]μ[έ]νον aut [ἐ]κμε[τρού]μ[ε]νον expleverunt, quorum hanc a Huntio in textum receptam coniecturam Vollgraff approbavit (Mnemosyne NS. 42 p. 84), illa Pearsoniana (Hunt, Oxyrh. Pap. IX p. 72) magis Robertio (Hermes 47 p. 544) et Münscherio (Rhein. Museum 69 p. 176²) placuit, qui recte potius de vestigio vel mensura pedis in solo impresso quam de mensura graduum emetienda agi perhibet. — Posteriore loco

lectionem Aristophanis variam ἐκμεμαγμένα Hunt pro textus ἐκμεμαγμένοι recte approbavit.

Vocabulo ἐκμάσσειν, cuius prima exempla sicut etiam verbi simplicis μάσσειν Sophocles praebere videtur, his Ichneutarum locis alia vis subiecta est atque in Electra Sophoclea (446), ubi itidem occurrit. Ibi enim abstergendi significationem prae se fert, in Ichneutis imprimendi et effingendi vim habet.

ἔνθηρος ferarum plenus, efferatus.

Ichn. 215—216 (IX 6—7) θῆρες, τί [τό]νδε χλοερὸν ὑλώδη πάγον | ἔν[θ]ηρον ὡρμήθητε σὺν πολλῇ βοῇ;

Huius vocabuli, quod apud poetas tantum tragicos occurrit, exemplum Sophocleum hucusque cognitum (Phil. 698) efferatum significat; hoc autem Ichneutarum loco vim ferarum pleni prae se fert, quae ei etiam in Rheso tragoedia auctoris ignoti (289) est subiecta.

ἐπίσημος insignis; subst. signum.

Ichn. 102 (IV 23) καὶ τοὐπίσημον αὐτὸ τῶν ὁπλῶν πάλι[ν.

Adiectivi satis communis apud Sophoclem exemplum primum (Ant. 1258) occurrit. Substantivi vim hoc vocabulum iam apud Aeschylum (Sept. 659) prae se fert, sicut loco nostro Sophocleo et deinde apud Herodotum (8,88, 9,74) et alios scriptores in primis orationis solutae usque ad aetatem Romanam.

*εὐπετῶς facile, benigne, officiose.

Ichn. 242—243 (X 6—7) ἀλλ' [εὐ]πετῶς μοι πρ[όφανον τὸ πρᾶγ]|μ',

Si lacuna prior recte expleta est, quod quidem verisimile videtur, hoc loco vocabulum εὐπετῶς non animo aequo sicut in fragmento Terei Sophoclei (fr. 526,2 Nauck) significat, sed benigne vel tale quid. — Prima huius vocabuli exempla Aeschylus (Ag. 552, Choeph. 1047) praebet; deinde usque ad aetatem Romanam occurrit.

θησαυρός thesaurus.

Ichn. 276 (XI 13) τοιόνδε παῖδα θησαυρὸς στέγει.

Loco nostro hoc vocabulum commune non sicut aliis locis Sophocleis (Ant. 30, Ai. 1175) divitiarum, opum vim prae se fert, sed loci, ubi divitiae repositae sunt, quae vis ei iam antea apud Aeschylum (Pers. 1022) subiecta erat.

κάνθαρος cantharis (scarabaeorum genus).

Ichn. 300 (XII 10) *ἀλλ' ὡς κεράστ[η]ς κάνθαρος δῆτ' ἐστὶν Αἰτναῖος φυήν;*

Cantharidas Aetnaeas permagnas esse Aristophanes (Pax 73) memorat et scholiasta eius testatur locis allatis Epicharmio (fr. 76,1 Kaibel), Aeschyleo (Sisyphus *πετροκυλιστής* fr. 233 Nauck), Sophocleo (Daedalus fr. 165 Nauck). Locum Daedali Sophocleum esse quanam de causa Nauck in dubium duxerit, nescio, hoc autem Ichneutarum loco, ubi cantharides itidem Aetnaeae appellantur, etiam testimonium, quod ad Daedalum Sophocleum pertinet, confirmari videtur. Cantharidas Aetnaeas poetae ab Epicharmo poeta Siculo recepisse videntur. — Quinto iam saeculo vocabulum *κάνθαρος* vim quoque poculi prae se tulisse poetae comici testantur, apud posteriores ei variae significationes subiectae sunt.

κατήκοος qui audit, auditor; dicto parens, oboediens.

Ichn. 77 (III 24 *[τ]ῶν εἴ τις ὀπτήρ ἐστι[ν] ἢ κατήκοος,*

Huic vocabulo, cuius veterrimum exemplum in Antigona Sophoclea (642) legebatur, ubi dicto parentem significat, loco nostro vim auditoris vel eius, qui audit subiectam esse plane apparet, quam vim deinde quoque interdum, velut in Axiocho Pseudoplatonico (365 B), prae se fert; proxime etiam accedit vis auscultatoris apud Herodotum (1,100), Dionem Cassium (XLII 17,2). Saepius tamen oboedientem, imperio alicuius subiectum significat.

κέλευμα iussum.

Ichn. 224—226 (IX 15—17) *κατέκλ[υ]ον | ὁμοῦ πρέπον κέλευμά πως κ[υ]νηγετ[ῶ]ν | ἐγγὺς μολόντων θηρὸς εὐναί[ον] τρο[φ]ῆς,*

Formae huius vocabuli *κέλευμα* et *κέλευσμα* in libris manu scriptis saepe inter se confunduntur, ut difficile sit diiudicatu, quaenam forma aetate quaque praevaluerit. In libro Mediceo fabularum Aeschylearum, quae veterrima horum vocabulorum exempla praebent, duobus locis *κέλευμα* scribitur (Pers. 397, Choeph. 751) tertio vero *κέλευσμα* (Eum. 235). Illis nisus Dindorf lectionem etiam Antigonae Sophocleae (1219) *κελεύσμασιν* in *κελεύμασιν* mutavit, quae coniectura ab aliis approbata, ab aliis reiecta hac Ichneutarum lectione confirmari videtur. Cum autem apud alios scriptores saeculi quinti quartique hae formae promiscue occurrant, confitendum est, papyrum nostram secundo p. Chr. n. saeculo conscriptam quaestionem solvere non posse, utra forma aetate Attica praevaluerit (cf. tamen Crönert, Mem. Gr. Herc. p. 227[5]).

κέρχνος raucitas, vox rauca.

Ichn. 128 (V 23) *ἀ[γχοῦ τις ἠχε]ι κέρχνος·*

Hoc vocabulum sicut etiam alia ex eadem stirpe derivata in primis apud scriptores, qui artem medicam tractant, occurrit, sed cotidiani sermonis videtur esse. Veterrima eius exempla praebet Sophocles, alterum hoc loco, ubi e sententiarum nexu, etsi mutilae sint, apparet *κέρχνος* vocem raucam (a harsh, grating sound Hunt, Oxyrh. Pap. IX p. 73) significare, alterum in fragmento Inachi fabulae, quam satyricam esse perhibent (fr. 257 Nauck). In versu Inachi: *τραχὺς χελώνης κέρχνος ἐξανίσταται* hanc vocem asperitatis vim prae se ferre viri docti opinati sunt (cf. Lexici Passowiani ed. V et Ellendt-Genthe: Lexicon Sophocleum), sed re vera videtur vocabulo *κέρχνος* etiam eo loco vocis raucae vis subiecta esse.

**κλοπεύς* fur.

Ichn. 326—327 (XIII 10—11) *οὐκ ἄλλος ἐστὶν κλ[οπεὺς] | ἀντ' ἐκείνου,*

Huius vocabuli, quo quantum equidem scio, unus Sophocles, is quidem duobus locis (Phil. 77, Ant. 493), usus est, Ichneutae nunc tertium exemplum praebent. Eustathius quidem hoc vocabulum

affert (1931,$_7$), sed unicum, quod habet, exemplum ad verbum fere cum versu Antigonae congruit.

κοίμημα somnus.

Ichn. 268 (XI 5) [*κάδεσμ*]*α καὶ ποτῆτα καὶ κοιμήματα*

Hoc vocabulum apud lexicographos occurrit, ubi somnus explicatur; apud scriptores non repertum est nisi apud Sophoclem hoc Ichneutarum loco et in Antigona (864), ubi concubitus vim prae se ferre videtur.

νεώρης novus, recens.

Ichn. 154—155 (VI 22—23)][*ψ*]*όφῳ νεώρει κόλακ*[*ι*] *ποιμένων π*[*ο*]*θέν*,| [*ὃν*] *δὴ φοβεῖσθε παῖδες ὡς πρὶν εἰσιδεῖν*,

Hoc vocabulum Sophocli proprium est, qui eo etiam in Electra (901) et Oedipode Coloneo (734) usus est. Postea, quantum sciam, non nisi in versibus corruptis a viris doctis restitutum, velut apud Euripidem (fr. 964,$_6$ Nauck) et Philitam (fr. 3,$_1$ Bach), occurrit.

νυμφικός nuptialis; ad nymphas pertinens(?).

Ichn. 147—149 (VI 15—17) *τοιοῦ*[*δ*]*ε πατρός, ὦ κάκιστα θηρίων*, | *οὗ πολλ' ἐφ' ἥβης μνήματ' ἀνδρείας ὕπο* | *κ*[*ε*]*ῖται παρ' οἴκοις νυμφικοῖς ἠσκημένα*,

Locis eis Sophocleis, ubi hoc vocabulum hucusque occurrerat (OR. 1242, Ant. 1240, Nauplius fr. 404 Nauck, fr. dubium 1026,$_5$ Nauck), significationem nuptialis eandem prae se fert, quae ei etiam apud scriptores alios subiecta est. Hoc vero Ichneutarum loco Hunt *νυμφικοῖς οἴκοις* anglice reddit: at the homes of his brides, sed in commentario vocabulis the caves of the nymphs explicat (Oxyrh. Pap. IX p. 74), quam significationem etiam Robert ei subiectam esse opinari videtur (Hermes 47 p. 549: die Höhlen seiner geliebten Nymphen; Die Spürhunde p. 14: Nymphengrotten). Hanc explicationem in promptu esse confitendum est, cum mores Sileni et verba hymni Homerici in Venerem (262—263) ab Huntio allata in memoriam revocemus. Nonne

vero poeta noster ambigue *νυμφικοῖς* usus sit, cum de sponsis Sileni locutus sit, quas nymphas esse spectatores satis sciebant?

ὀνινάναι prodesse, auxilio esse.

Ichn. 135 (VI 3) *ἐμ[ὸν] δίω[γμά γ' οὐδα]μῶς ὀνήσετε.*

Verbi communis *ὀνινάναι*, quo iam Homerus usus est, forma activa hucusque non occurrerat apud Sophoclem, qui mediae quidem formae exempla nonnulla praebuit (Tr. 570, OR. 644, OC. 1042).

**ὀπαδός* comes.

Ichn. 222 (IX 13) *σὺν ἐγγόνοις νύμφαισι κ<ὠπα>δῶν ὄχλῳ;*

Lectionem papyri manifeste corruptam *καὶ ποδῶν ὄχλῳ* Wilamowitz-Moellendorff coniectura *παιδῶν* emendandam esse opinatus est, quam Hunt in textum recepit (Oxyrh. Pap. IX p. 77). Postea et Maas (D. Lit:zeit. 33 p. 2784) et Vollgraff (Mnemosyne NS. 42 p. 90 et 166) summo, ut mihi quidem videtur, iure *καὶ ὀπαδῶν* vel *κὠπαδῶν* scribendum esse censuerunt. Hoc vocabulo sat communi, cuius veterrima exempla in hymno Homerico in Mercurium (450) et apud Pindarum (Nem. 3,13, fr. 6 Bergk) exstant, et alios poetas tragicos et Sophoclem (Tr. 1264, OC. 1092) usos esse iam antea cognitum erat.

ὀπίσω retro; posthac, in futurum.

Ichn. 115 (V 10) *εἰ[ς] τοὐπίσω τὰ πρόσθεν ἤλλακται,*

Loco nostro vocabulum commune *ὀπίσω*, quod Robert quidem germanice: nach innen reddidit (Hermes 47 p. 546), re vera nihil aliud ac retro significare manifestum est (cf. Münscher, Rhein. Museum 69 p. 179). Altero loco Sophocleo, ubi hoc adverbium occurrit, in futurum significat (OR. 488).

παράδειγμα exemplum.

Ichn. 70—72 (III 17—19) *συνάμα θεὸς ὁ φίλος ἀνέτω | πόνους προφήνας | ἀρίζηλα χρυσοῦ παραδείγματα.*

Apud Sophoclem, qui prima exempla huius vocabuli postea communis praebuisse videtur, hic vim primaevam, quae ad verbum

παραδεικνύναι proxime accedit, prae se fert, in Oedipode Rege iam tralate usurpatur (1193 τὸ σόν τοι παράδειγμ' ἔχων).

?*πεινῆν esurire.

Ichn. 354 (XIV 12) τοῦδε δ' οὐ π<ει>ν<ῇ> δόμος.

In papyro manu prima τουδετουπανᾶι scriptum est, suprascripto manu secunda spiritu aspero supra ου alterum et δ supra alterum τ. Textum manifeste corruptum Wilamowitz-Moellendorff sanare conatus est coniectura: τοῦδε δ' οὐ π<ει>ν<ῇ> δόμος, quam Hunt recte, ut mihi quidem videtur, approbavit, reiecta Pearsoniana: τοῦδε δ', οὐ π<λ>ανᾷ δόμο<υ>ς, | [ὄκν]ει cet. (Oxyrh. Pap. IX p. 84). — Verbo communi πεινῆν Sophoclem usum esse iam antehac e fragmento Eridis fabulae (fr. 189 Nauck) cognitum erat.

πορίζειν afferre, parare.

Ichn. 258 (X 22) αὐτοῖσιν ὑμῖ[ν ζ]ημία πορίζεται.

— 289—290 (XI 26—XII 1) ἐ[κ θανόν]|τος πορίζειν τοιάνδε γῆρυν.

Primum apud Sophoclem hoc verbum occurrere videtur, nisi forte epigramma, quod dicitur Homericum, vetustius sit (14,10). In Electrae loco corrupto (1267) hoc vocabulum a Dindorfio probabiliter restitutum erat, nunc certa et ea quidem vetustiora exempla Sophoclea habemus; Ichneutas enim inter primas fabulas Sophocleas numerandos esse inter viros doctos constat, Electram inter annos a. Chr. n. 429 et 413 conscriptam esse verisimile videtur. Postea et apud poetas et scriptores orationis solutae usque ad aetatem Romanam occurrit.

*συμπλέκειν contexere, commiscere.

Ichn. 115—116 (V 10—11) τὰ δ' αὖ | ἐναντί' ἀλλήλοισι συμπ[επλεγ]μένα.

Lacunam Hunt optime explevit exemplo Xenophonteo allato (Cyn. 1,6 ἴχνη συμπεπλεγμένα), ubi itidem de vestigiis implicatis, perturbatis agitur. Sophocles prima huius verbi exempla praebere videtur, alterum iam antea cognitum in fragmento Troili (fr. 256,2

Nauck), ubi ad symplegma Pelei et Thetidis spectat, alterum loco nostro Ichneutarum, ubi commiscere, confundere significat. — Postea usque ad aetatem Romanam sat commune est.

τρίζυγος triplex, tripertitus(?).

Ichn. 168 (VII 10) ἀλλ' εἶ' [ἐ]φίστω τριζύγης οἴμου βάσιν,

In fragmento Sisyphi a Musuro optime emendato (fr. 502 Nauck χαρίτων τριζύγων) utrum Sophocles vocabulo τρίζυγος, quod Euripides semel (Hel. 357) adhibet, an vocabulo τρίζυξ, quod apud scriptores epigrammatum aetatis Romanae occurrit, velut apud Antipatrem Sidonium (Anth. Pal. XI 220,1) et Archiam (Anth. Pal. VI 13,2, 181,1), usus sit, cum dubium esse videretur, haec quaestio ope huius Ichneutarum loci iam diiudicari posse videtur; τρίζυγος enim vocabuli cum apud scriptores aetatis classicae iam duo exstent exempla, etiam tertium (fragmentum illud Sisyphi) accipiendum esse videtur. — At Vollgraff (Mnemosyne NS. 42 p. 88—89) non solum formam femininam eiusmodi vocabulorum ac τρίζυγος in primam quae dicitur declinationem transire non solere monuit (cf. Euripides Hel. 357: τριζύγοις θεαῖς), sed etiam tres semitas in scena exstrui potuisse negavit; itaque vel τριζυγής legendum esse, qualem nominativum a sermone Sophocleo non ita abhorrere, ut ei abiudicandus esset, exemplis allatis demonstravit, vel potius versum ἀλλ' εἶ' ἐφίστω τριζυγεῖ 'ς οἴμου βάσιν scribendum esse censuit, quem sic interpretatus est: agedum tribus ordinibus dispositus insiste viam. Quae opinio, quamvis argumentis speciosis nitatur, tamen mihi quidem non videtur esse approbanda; ubi enim sententia alio modo bene enucleari possit, non est cur textum vocabulo novo effingendo interpolemus. Difficultates vero, quas textus, qualis in papyro exstat, explicationi praebet, a viris doctis Wilamowitz-Moellendorffio, qui primum quidem textum mutandum esse censuit (Hunt, Oxyrh. Pap. IX p. 75: τρίζυγ' εἰς), deinde immutatum recepit (N. Jahrb. XXIX p. 456[3]), et Münschero (Rhein. Museum 69 p. 182) sublatae esse videntur.

τρόπος modus, mos, institutio.

Ichn. 120 (V 15) *τίς ὑμῶν ὁ τρόπος;*

— 123—124 (V 16—19) *π[οῦ] γῆς ἐμάθετ' ἐν πο[ί]ῳ τρόπῳ;| [ση]μήνατ', ο[ὐ γ]ὰρ ἴδρις εἰμὶ τοῦ τρόπου.*

— 173 (VII 15) *ἐν πρώτῳ τίς ὅδε τρόπ[ος . . .*

— *176 (VII 18) *δευτέρῳ τίς ὅδε [τρόπος;*

Satyros hic canum paene more vestigia indagantes a poeta spectatoribus ante oculos positos esse opinatus Robert comparato loco Xenophonteo (Cyn. 3,4 *εἰσὶ δὲ καὶ τῆς ἰχνεύσεως πολλοὶ τρόποι ἐκ τῶν αὐτῶν κυνῶν*) optime monuit vocabulum commune *τρόπος* in versibus Ichneutarum 120, 124, 173 significationem singularem prae se ferre, quae germanice Dressur reddenda sit (Hermes 47 p. 548). Qua de causa in versu 176, quem Hunt lectione in margine adscripta varia approbata *δεῦτ', ὦ, τίς ὅδε* .[. . reddit, textum 1 manu scriptum supplevit: *δευτέρῳ τίς ὅδε [τρόπος;*. Explicationem Roberti recte, ut mihi quidem videtur, approbans Münscher in versu 123 coniecturam Wilamowitz-Moellendorffii (Hunt, Oxyrh. Pap. IX p. 73: *ἐν ποίῳ τόπῳ*) reiciendam, textumque papyri retinendum esse perhibuit, ubi *τρόπῳ* vocabulo eadem vis institutionis subiecta sit; quam opinionem bene confirmavit. — Significationem communem *τρόπος* vocabulum pluries apud Sophoclem et quidem etiam in Ichneutis (114, 299) prae se ferre constat.

φιλήτης fur, latro.

Ichn. 332 (XIII 16) *[μῶν τὸν Διὸς παῖδ' ὄ]ντα φιλήτην κα-[λεῖς;*

Hoc vocabulum utrum in capite secundo an tertio commemorandum esset, pro certo diiudicari non potuit, cum in fragmento iam antea cognito (fr. 847 Nauck: *ὅρκος γὰρ οὐδεὶς ἀνδρὶ φιλήτῃ βάρυς*) occurreret. Hoc vero fragmentum Maas sententiam ad describendum Mercurium, deum perfidiarum plenum, aptissimam continere opinatus ex Ichneutis Sophocleis excerptum esse coniecit (Berl. phil. Wochenschr. 32 p. 1076). Obliviscendum enim non est *φιλήτης* (in hymno Homerico in Mercurium 67, 446) et *φιλητῶν ἄναξ* (in Rheso 217 et Appendice Anthologiae Palatinae 178) epitheta Mercurii esse. —

Vocabulum *φιλήτης*, quod primum apud Hesiodum (Op. 375) et in hymno Homerico in Mercurium occurrit, deinde sat rarum est. Antiqua eius est scribendi discrepantia; cum autem non solum plurimis in locis scriptorum, ubi occurrit, libri optimi lectionem *φιλήτης* praebeant sed etiam exempla antiquissima velut fragmentum Hellanici (Oxyrh. Pap. VIII 1084) et haec Ichneutarum papyrus saeculi p. Chr. n. secundi et tabula, quae fragmentum Hecalae Callimacheae continet, lignea saeculi p. Chr. n. quarti hanc formam habeant, recte Maas formam *φιλήτης* etiam his in Ichneutarum locis, quos editores mutaverant, retinendam esse censuit, etsi lexicographi et grammatici lectionem *φηλήτης* commendarent, cum hoc vocabulum e verbo *φηλεῖν* derivatum esse perhiberent.

ψοφεῖν strepere, perire.

Ichn. 162 (VII 4) *κλαίοντες αὐτῇ δειλίᾳ ψοφή[σ]ετε.*

Hoc vocabulum, cuius veterrima exempla Sophocles praebere videtur, in fragmento Acrisii tragoediae (fr. 58,3 Nauck) sensum communem strependi prae se fert; nostro autem loco Maas monuit significationem eius optime vocabulo perire (germanice: krepieren) reddi posse (Berl. phil. Wochenschr. 32 p. 1076). Quae significatio cum adhuc apud scriptores demum Byzantinos et Neograecos apparuisset, sane necopinatum erat eam iam apud Sophoclem occurrere, sed Sileno longam et sollemnem illam allocutionem peroranti vocabulum tale vulgarius ne dicam sordidum tam egregie convenit, ut non possim, quin hanc interpretationem comprobandam esse putem.

In capite II commemoranda erant:

κλοπαῖος qui ad furtum attinet, surreptus, furtivus.

Ichn. 75—76 (III 22—23) *λεῖαν ἄγραν σύλη[σ]ιν ἐκκυνηγέσαι | Φ[ο]ίβου κλ[ο]παίας βοῦς ἀπεστερημένο[ν.*

Sophoclem hoc vocabulo usum esse antehac non erat cognitum; primum eius exemplum Aeschylus praebet (Prom. 110). Deinde apud

Euripidem (Alc. 1035) et nonnumquam apud scriptores orationis solutae, velut apud Platonem (Legg. XI 934 C) et Dionysium Halicarnasseum (II 71) occurrit.

κτέανον possessio, bonum.

Ichn. 306 (XII 17)]. **κτέανον ησύ[. . .] . τίνι;**

Hoc vocabulum in versu hexametro legebatur, qui in scholio quodam ad Sophocleum Oedipodem Coloneum (378) e Thamyra tragoedia Sophoclea allatus est (fr. 221,2 Nauck); viri docti tamen probabiliter hunc versum ad Epigonos carmen cyclicum retulerunt. — Vocabulum poeticum **κτέανον** primum apud Hesychium (Op. 315), deinde apud Solonem (fr. 4,12 Bergk), Theognidem (956, 1009, 1149), Pindarum (Pyth. 1,2), poetas tragicos occurrit. Poetae posteriores eo raro usi sunt; nulla in oratione soluta exempla exstare videntur.

Index vocabulorum.